



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

Fasc. 4

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1722**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-5924**

# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

**THEOLOGICA.**

*Classis Sextae*

**FASCICULUS QUARTUS.**



**B R E M Æ,**

---

**Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII**

---

**Typis HERMANNI BRAUERI, M D CC XXII.**

V I R O

*summe venerando, celeberrimoque*

**R U A R D O  
A N D A L A ,**

S. Theologiae & Philosophiae Doctori, & in incluta Frisiorum, quae Franequerae est, Academia Professore perincluto,

*atque acutissimo,*

Veritatis, quae secundum pietatem est, assertori strenuo ac felicissimo

*Quartum hunc supra tricesimum*

# BIBLIOTHECAE

H V J V S

FASCICVLVM,

ut praes atque obses fiet  
mei erga illum cultus,  
amorisque non  
fucati,

L. M. Q. D. D. C.

EJUSQUE HUMANITATEM IN  
hoc opere sibi fautricem  
atque adjutricem  
expetit

EDITOR.

In hoc fasciculo occurrunt sequentia:

- I. B. P. KARLII Exercitatio ad loca quaedam N. T. Diem adventumque Domini, non ad iudicium extremum, sed intermedium quendam praenuntiantia pag. 573.
- II. Jo. Christophori HARRENBURGII de Paulo in coelo tertio *α' π' η' τ' α* comperto ad 2. Cor. XII: 2. 3. 4. 7. Exercit. p. 611.
- III. Jo. Godofredi LAKEMACHERI de Palo carni Pauli dato ad 2. Cor. XII: 7. disquisitio. p. 635.
- IV. Theodori HASAEI ad praecedentem dissertationem supplementum. p. 647.
- V. Georgii Christophori KÜSTERI de Sanchunianthone exercitatio. p. 660.
- VI. Suspiria & preces ad ductum omnium Psalmorum ante DCCCC. annos scripta, nunc primum edita. p. 661.
- VII. Illustris Gymnasii Bernensis, ejusque Bibliothecae hodiernus status. p. 716.
- VIII. Campegii VITRINGA Vita, librorumque catalogus. p. 735.
- IX. Nova quaedam Historico-Theologico-Literaria. p. 747.
- X. Remedium amoris. p. 764.

EDITOR



703  
I.

B. P. KARLII,

*Exercitatio Biblica, ad loca*  
quædam N. Test. *Diem Adventumq;*  
*Domini*, non novissimum ad judi-  
cium extremum, sed intermedium  
quendam, ad judicia in hostes suos spe-  
cialia exequenda, regnumque suum  
vel promovendum vel & consumman-  
dum prænunciantia: imprimis ad  
Matth. XXIV. 3, 27, 37, 39. 2. Pet.  
III: 3. sqq. 2. Theff. II: 8. 1. Tim.  
VI: 14. &c.

SUMMARIA.

Vulgaris Scripturæ S. interpretum error circa dicta *de*  
*die & adventu Domini*, valde noxius §. 1. Ei Chri-  
stum jam & Paulum obicem ponere voluisse §. 2. Di-  
cta N. T. de adventu Christi, ut jam olim propin-  
Class. VI. Fasc. IV. Pp que

quo, de alio, quam novissimo, esse exaudienda.  
 §. 3. Temeraria & periculosa Grotii de falsa Apo-  
 stoli circa hunc adventum opinione, opinio. §. 4.  
 Neque Cocceji de locis N. T. *παρσίαν* Christi me-  
 morantibus, sententia ubivis admittenda, cui & di-  
 cta 2. Petr. 1: 16. repugnent. §. 5. Repugnare  
 etiam dicta Matth. 24: 3. §. 6. 7. De Versu ibi 27.  
 & 28. coll. V. 23. & 26. §. 8. 9. 10. Nec non  
 2. Pet. 3: 4. 10. 12. quod Caput totum explicatur.  
 §. 11. sqq. cumque v. 10. sqq. loca Esa. 66: 15. sqq.  
 & Apoc. 20: 11. 21: 1. 2. conferuntur. §. 16. &  
 17. Nervus demonstrationis ex Capite hoc 3. Epist.  
 2. Petr. §. 13. Verba eius C. 4: 7. *finem omnium ad-  
 venisse*, quid velint? §. 19. 2. Thess. 2: 8.  
*τὴν ἐπιφάνειαν τῆς παρσίας Κυρίου*, de adventu  
 Christi non novissimo, sed de præcedaneo, ad ex-  
 cidium np. Antichristi, esse exaudiendum. §. 20.  
 Locus similis ex 1. Tim. 6: 14. 15. ex antecedenti-  
 bus explicatur, & ad tempora reformationis eccle-  
 siæ prospicere ostenditur. §. 21-24. exindeque lo-  
 cus d. 2. Thess. 2: 8. illustratur. §. 25. Quid  
*ἡ ὑποκαύψις* Christi Domini sit, quæ passim me-  
 moratur, quam nec ipsam de visibili illius ad extre-  
 mum iudicium adventu accipi, demonstratur. §. 26.  
 Superiorum omnium *ἀνακεφαλαίωσις*. §. 27.

§. I.

**V**alde in eo peccatum hæctenus a Scri-  
 pturæ S. interpretibus communiter  
 est, quod quam plurima ejus dicta  
 de die adventuque Domini, ad singu-  
 laria in ipsius & ecclesiæ hostes ju-  
 dicia, cum ab antiquis Vatibus, tum a Chri-  
 sto ejusque Apostolis prænunciata, & execu-  
 tio-

tionem partim jam data, partim vero adhuc danda, (qualia v. gr. sunt Esa. 2: 12. sqq. C. 34: 8. sqq. C. 66: 15. sqq. Joël. 3: 4. sqq. Zephan. 1: 14. sqq. Mal. 3: 16. sqq. C. 4: 1. sqq. Matth. 16: 27. 28. C. 26: 64. Apoc. 6: 12. sqq. C. 11: 15. sqq. C. 16: 15. sqq. &c. &c.) ad extremum jam vivorum ac mortuorum judicium, novissimo utique tempore certissime futurum, Dominique ad illud adventum visibilem, trahere non dubitarunt. Quod cum in grande veritatis cedat præjudicium, rectumque verbi prophetici intellectum nimium quantum moretur, imo & emphæctis ac Sadducæis, vel Atheis, non omnino nullam tum Christianorum fidem, tum Scripturam S. ejusque autorem, Deum, quasi fidem sui ad judicium extremum adventus tanquam propinquissimi, dudum datam, frustrantem, ridendi ansam præbeat; operæ sane erit precium, ostendere, perperam omnia promiscue Prophetarum Apostolorumque, & ipsius etiam Christi, de die judicii, adventuque Domini, oracula, præsertim illa, quibus eum prope instare suo jam ævo dixerunt, mox de novissimo intelligi.

§. 2. Mirum sane, quod, licet ipse Christus & Paulus eorum errorem tam diserte coaguerint, qui adventum diei Christi, vel & regni Dei, illustrem jam prope abesse tunc putabant, tamen Apostolorum dicta in sensum doctrinæ ipsorum contrarium rapi vulgo po-

tuerint. Christus certe in eos, qui regnum Dei extemplo manifestandum opinabantur, peculiarem dixit parabolam, qua se Domino assimilatur, post longum demum tempus ad familiam suam redeunti; Luc. 19: 11. 12. coll. Matth. 25: 19. ff. Vid. & Matth. 24: 48. & C. 25: 5. Præterquam quod idem, Hierosolymam calcatum iri, prædixit, donec tempora gentium consummarentur. Luc. 21: 24. Quæ sane tempus haud parvum indicant. Paulus vero, cum in priore ad Thess. Epistola docuisset, adventum Christi novissimum insperatum fore & subitaneum, in altera ex instituto ostendit, non ita illum Christi diem instare, ut non in longinquum adhuc sit differendus, & magna illa sub Antichristo *ἀποστασία* defectio intercedere debeat: ne, si forte in illam Christiani opinionem inciderent, aut in ea perseverarent, expectationi non respondente eventu, Christiana fides & verbum Dei in risum ludibriumque verterent.

§. 3. Minime vero de Domini ad extremum universaleque iudicium adventu illa exaudienda sunt S. Scripturæ dicta, quibus illius adventus tanquam propinquus & jam instans expectandus jam olim dicebatur, veluti Matth. 10: 23. C. 16: 27. 28. Coll. C. 19: 28. C. 26: 64. Luc. 17: 30. 31. C. 18: 8. Joh. 21: 22. 1. Cor. 1: 7. 8. Phil. 1: 6. C. 4: 5. Tit. 2: 13. Jac. 5: 9. Ebr. 10: 37. 1. Petr. 1: 7. 13. C. 4: 13. & imprimis 2. Thess. 1: 7. sqq. ubi  
rela-

relaxatio, afflictis in revelatione Domini Jesu promissa, non alia est, quam consortium regni Christi & Dei, pro quo passi erant: V. 5. spectato ibi, perinde atque in aliis locis, Christi ad Hierosolymæ excidium adventu, ejusque regno, per & post illud revelando aut notabilius manifestando: ut vel ex d. Luc. 17: 30. sqq. coll. Matth. 24: 17. (ex quo & v. 8. Luc. 18. tantopere vexatus, omnino videtur explicandus. coll. d. C. 17: 26. sqq.) nec non ex d. 1. Pet. 1: 13. ubi Apostolus de gratia *ἡμετέρας*, h. e. quæ tunc advenis dispersis jam deferebatur in revelatione Jesu Christi, ipsis per evangelii annunciationem facta coll. v. 5. loquitur: quos proinde hortatur, ut, *ἀναζωομενοι τοῖς ὀσφύσιν*, cincti lumbos, perfecte sperent in ejus adventum, ad Israëlitarum e domo servitutis Æg. exitum, ceu redemptionis novi Israël a servitute legis peccati & mortis typum, alludens. Vid. Exod. 12: 11. Coll. Luc. 12: 35. C. 1: 68. 71. 74. Quemadmodum 1. Cor. 1: 7. 8. Paulus vult, ut Corinthiū diem illum Christi expectent, (perinde ut Tit. 2: 13.) tanquam instantem. At diem judicii extremi expectare jam ut instantem, nec poterant nec debebant: Apostolo contra monente 2. Thess. 2: 2. Quo & pertinent dicta Act. 17: 31. Rom. 2: 5. 9. 16. coll. C. 14: 10. 11. cum Esa. 45: 23. ubi certe de extremo judicio haud quaquam sermo est.

IV. Absit enim, ut, Apostolos falsa hac im-

butos fuisse opinione, statuamus, quod finis mundi  
 & adventus Christi ad ultimum iudicium tunc cum  
 ipsi scriberent, jam immineret: quæ Grotii teme-  
 raria & falsa de PAULO fuit opinio, quando  
 ad 2. Theff. 2: 1. (ubi Apostolus totus in eo  
 est, ut Thessalonicensium de adventus Chri-  
 sti propinquitate errorem refellat,) ad verba,  
 ὡπὲρ τῆς παρεούσης τῆς κείνης, ita scripsit: Cum  
 Paulus crediderit, non multo post excidium iudaici  
 status secuturum excidium universale, nihil mali est,  
 si παρεούσῳ accipiamus pro utroque Christi iudicio,  
 tum in Iudeos, tum in humanum genus. Atque  
 iterum: Nihil vetat, hic intelligi ultimum Christi  
 adventum, quem Paulus propinquum putabat, ita  
 tamen ut primo destructio Hierosolymorum & alia  
 quedam deberent intercedere. Quale quid & de  
 JOANNE, aliisque Apostolis, idem videtur  
 opinatus. Quo vero pacto omnis Novi Test.  
 fides labefactatur, & Scriptura S. Atheis atque  
 Naturalistis deridenda & exhibilanda propina-  
 tur. Vid. quæ hanc ob rem SARRAVIUS  
 Grotium monuit, Epist. 8. in calce Epp. Grotii  
 ad Gallos.

V. Nos vero nunc, missis tantisper aliis,  
 de eo ante omnia disquiremus, num, ubi-  
 cunque in Novo Test. adventus Christi Domini  
 memoratur, novissimus ejus ac visibilis, ad  
 iudicium novissimum, sit exaudiendus? quæ  
 quidem communis est, & quod miramur,  
 ipsius quoque Cocceji, perspicacissimi Inter-  
 pretis, sententia, quippe qui, notandum mo-  
 net,

net, ad 2. Pet. 1: 16. §. 10. in toto Novo Test.  
 τὴν παρουσίαν τῆς Κυρίας tantum notare adventum  
 ejus ad judicium extremum, & assumendum  
 in GLORIAM: allegans & hanc in rem non  
 tantum 1. Cor. 15: 23. 1. Theff. 2: 19. C. 3:  
 13. C. 4: 15. C. 5: 23. 1. Joh. 2: 18. Jac. 5:  
 7. 8. sed etiam Matth. 24: 3. 27. 37. 39. 2. Theff.  
 2: 1. 8. & 2. Pet. 3: 4. 12. Quod vero minime  
 videtur concedendum, cum id nec in illo  
 ipso, quem Vir Celeb. ibi tractat, loco ita se  
 habeat: ubi videl. Petrus de adventu Christi  
 ad capessendum regnum suum ἐν δυνάμει,  
 (Marc. 9: 1.) haud obscure loquitur, quan-  
 do illum τὴν ἐκείνης μεγαλειότητα, ejus *majesta-*  
*tem* ibidem appellat, ubi de regno ejus eterno  
 ipsi sermo est, Vid. v. 11. ad quod quæren-  
 dum advenis dispersis primo proponit d. v.  
 16 sqq. visionem illam, sibi, Jacobo & Jo-  
 anni in monte sublimi oblatam, Matth. 17: 1.  
 sqq. qua eis Christus, antequam παθήματα  
 sua mortemque crucis ignominiosam subiret,  
 ne his offenderentur, futuram regni sui glo-  
 riam, dandamque sibi μεγαλειότητα repræ-  
 sentarat; deinde eos v. 19. admonet, ut dili-  
 genter ad sermonem prophetiam, s. prophetiam  
 Scripturæ, v. 20. attendant, ut illa visione fir-  
 miores, quippe θεόπνευστον, v. 25. adeoque  
 αὐτόπιστον, in qua regni istius χρόνοι καὶ καιροὶ  
 sufficienter determinantur. Act. 1: 7. coll. 1.  
 Pet. 1: 11. 12. Quam Prophetiam d. v. 19.  
 cum λύχνῳ φαίνοντι ἐν ἀσχημῶ τόπῳ compa-  
 rat:

rat: designante ibi *λύχνω* lucernam s. facem, quæ np. tenebras noctis, h. e. Vet. Test. Rom. 13: 12. coll. Joh. 1: 5. C. 5: 35. profligabat, loco vero *ἀνυμνηρῶν*, tenebroso, squalido & immundo, mundum tam Judæorum quam gentium, qui utrique, quatenus evangelii luce nondum erant collustrati, nec virtute Spiritus S. emundati, tenebris qf. nocturnis sive umbrarum legis, sive idololatriæ gentilis, erant cooperti, inque squalore & immunditie concupiscentiarum ac peccatorum demersi: (Conf. Matth. 4: 16. Eph. 2: 1. 3. 5.) donec illi prædicta in prophetiis *dies* plenæ libertatis a lege, umbram duntaxat futurorum bonorum habente, Ebr. 10: 1. illucesceret, per Hierosolymæ & templi excidium; (Conf. Cant. 2: 17.) & huic *φῶσφορῶν*, h. e. explicante Suida, ὁ τὸ φῶς ἀνατέλλων ἡλ. ὄν, Sol, lucem adferens, np. Christus, veræ lucis lator, Joh. 1: 9. Lux mundi, Joh. 8. 12. exoriretur.

§. VI. Quod ad Discipulorum Christi, de ipsius *παροῖα* interrogationem, Matth. 24: 3. hujusque de eadem responsiones, ib. v. 27. 37. 39. attinet, non sane putem, illius ibi ad extremum judicium intelligendum esse adventum: Quod nec D. SPENERUS persuadere sibi potuit: Ut de quo Cap. demum seq. 25. agi, existimat. Vid. illius *lesste Bedencken* P. 1. p. 222. Bipertitæ illorum interrogationis d. v. 3. pars posterior, de signo ad-  
ven-

*ventus Christi, & consummatione (συντελεία)*  
*seculi, quam priori isti, Ecquando ea, quæ de*  
*templi, adeoque & urbis Hierosolymæ ex-*  
*cidio locutus modo fuerat Dominus, futura*  
*essent? subnectunt. Lucæ 21: 7. ea sic effer-*  
*tur: τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλη ταῦτα γίνεσθαι;*  
*pro quibus ultimis vero Marc. 13: 4. est, πάν-*  
*τα ταῦτα συντελεῖσθαι; Quæ tamen omnia eun-*  
*dem habent sensum, & procul dubio (quod*  
*adversus Usserium in Harmon. Evang. & GRO-*  
*TIUM ejusque asseclas, notandum, omnia*  
*hic ad solum Hierosolymæ destructionem tra-*  
*hentes) a priori interrogatione diversum*  
*quid volunt. Jam vero consummatio seculi,*  
*vel, consummatio omnium illorum, nō. quæ*  
*prædicta a Vatibus erant, (conf. Matth. 24:*  
*33. 34.) vel, quæ oportebat evenire secundum*  
*prophetias, ib. v. 6. diversa a destructione*  
*templi & urbis, non alia esse potest, quam il-*  
*la, de qua Christus Matth. 13: 39. 40. coll,*  
*v. 42. loquitur, quæ d. Matth. 24: 32. estas,*  
*id hic vero messis, dicitur, videl. ecclesiæ re-*  
*formatio, & fidelium in regnum ejus, sub*  
*tubicinio septimo consummandum, colle-*  
*ctio, cum hostium ipsorum excidio, con-*  
*juncta. Conf. 11: 15. sqq. quam συντελείαν*  
*s. tendentiam ad finem aliquem temporis tractum*  
*habentem, tandem τὸ τέλος, ipse mundi*  
*omniumque finis excipiet. Vid. d. Matth. 24:*  
*6. 14. Cum autem ibid. d. v. 3. cum ἡ συντε-*  
*λεία τοῦ αἰῶνος τῆς ἐκείνης conjungitur ἡ παρουσία,*

*adventus Domini*, indicatur, seculum istud, atque omnia illa, quæ fieri secundum prophetias oportebat, d. v. 6. non iri consummatum, nisi intercedente Christi adventu, non excidium Judæorum, neque etiam ad iudicium extremum, sed in regnum suum, quem, ut antediximus, D. PETRUS *ἡν ὁνει-  
υς μεγαλειότητι magnificam eius gloriam* & ΕΡΕΣ-  
ΣΕΤΥ d. 2. Ep. 1: 16. coll. v. 11.

§. 7. Ut autem *adventus* Christi hic in discipulorum interrogatione, ita idem quoque postea in Magistri responsione, v. 27. 30. 37. 39. intelligendus utique erit. Utriusque ratio ex præcedente C. 23: 38. 39. optime perspicitur, ubi cum Christus excecationem mentis Judæis comminatur, qua puniti ipsum labentibus gentium temporibus *visuri non essent*, eisdem quoque gratiosam rursus visitationem promittit, ad ipsorum conversionem, qua temporibus istis impletis, *visuri ipsum essent, diciturque, Benedictus qui venit in nomine Domini*. Conf. Luc. 19: 38. & C. 21: 24. Rom. 11: 23. 25. 26. Quem in sensum B. quoque LUTHERUS illa Domini verba accepit in *Postilla Eccles. ad Evang. Fer. II. Nativ.* ut ex editionibus antiquissimis, nuper aliquoties recensis, constat. Jam vero ad istorum explanationem uberiores omnino pertinent, quæ sequenti hoc C. 24. ad Discipulorum quæstionem, ex illis antedictis motam, Christus vaticinatur: quod & SANDHAGENIUS recte ob-

observatae monet *Epist. Theoll.*, P. II. Num. V. p. 240. Siquidem hic ea exponit, quæ in ecclesia inde a Judæorum rejectione usque ad eorundem reassumptionem erant eventura; cum ille veniet, omne velum, quo oculi tam Judæorum, quam gentium obvelati hæctenus sunt, resecturus, regnumque suum in pace gloriosa consummaturus Vid. *Esa.* 25. coll. 2. *Cor.* 3: 14. 15. 16. *C.* 4: 4. Quemadmodum & Tertullianus jam agnovit *L. de Resurr. carnis*, Christum h. l. excidio Judaismi ante descripto, postea generatim subjungere, quæ usque ad consummationem seculi eventura essent; & Kromayerus *Comm. in Apoc.* fatetur, Caput 24. *Matth.* brevem eorum, quæ in *Apocal.* uberius exposita sunt, epitomen habere. Quid itaque cogitatu est proclivius, quam nec Discipulos hic de alio Christi adventu interrogasse, nec Magistrum de alio respondisse, quam de quo loqui ipse sub finem Capitis antecedentis cœperat, & unde ipsum interrogandi ansam ceperant? Et patet sane ad oculum, *adventum* Christi hic *consummationem* (συντέλειαν) seculi antecedere, ex posteriori parte & interrogationis v. 3. & responsionis, quæ a v. 23. priorem excipit. Postquam enim v. 27. *illius* meminisset, nec non v. 30. verbis, τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐρχομένου -- postea v. 33. ad hanc respicit, (prout ea *Marc.* 13: 4. circumseribitur) quandoquidem *consummari* dicitur  
 secu-

*seculum*, cum id ad *finem* (de quo v. 6. 13. & 14.) vergit, hicque paullatim adpropinquat.

§. 8. Et, si ipsum vs. 27. cum antecedentibus collatum, speciatim consideremus, facile patet, minime illic de Domini ad *judicium extremum adventu* sermonem esse. Quandoquidem Christus ibi per τὸ γὰρ αἰτιολογικὸν *rationem* profert, quare ipsi fideles errorem de ipsius certis in locis (*hic, illic, in deserto, in conclavi, ταμείω cellula* s. *ciborio*) praesentia admittere non debeant, v. 23. 26. (qui illis, post Hierosolymæ ac politicæ Judæorum excidium, v. 15-23. suorumque electorum ex illorum ut & gentilium afflictionibus tam funestis liberationem, v. 22. capturus esset posteris temporibus magis semper magisque obtrudi a *falsis Prophetis & falsis Christis*, (non sane, ipsum *Christi* nomen mentituris, verumque *Christum* aperte abnegaturis: ut patet: quia illi de semetipsis dicere non poterant, *Ecce illic Christus est! in deserto, in cellula, est!* neque ab eo fidelibus tantum erat metuendum periculi; v. 24. sed, qui se *Christi ipsius vice* erant gesturi, tanquam ἀνὴρ Χριστοῦ, *Pro-Christi*, *Christi vicarii*, ratione videlicet munerum ejus, a quibus ille Χριστός, *unctus*, dicitur) quod np. Christus certæ sedi peculiari privilegio sit adstrictus, ut per vicarium quendam, illam tenentem, ibi regnet, sua *corona & potestatem* ostendat, in illo doceat, pro-

pronunciet ac judicet, ut dicatur, hoc *Christum* ibi facere! (id quod naturæ regni, Christi sub nova œconomia plane repugnat) quod idem certis imaginibus, simulacris consecratis, affixus sit, in monachorum claustris & ædiculis, ubi talia sunt exposita, salutandus, adorandus & consulendus, quodque ex pane quasi transubstantiatus, (rem enim inauditam & absurdam tali quoque vocabulo appellant) inque cellula aut ciborio, s. monst. antia, quam vocant, asservatus, summo cultu ibi sit venerandus. Qui errores idololatriam ac superstitionem variam, imo cultus libertatisque evangelicæ, & regni Christi, perversionem, omnino ac per se afferunt.

§. 9. *Ratio autem non credendi*, Christum illo modo in terra esse præsentem, nec adeo illuc *exeundi*; quam dare Dominus d. v. 27. voluit; minus sane valida inde esset petitio, quod ipse aliquando visibili modo venturus est in die παντοκρητικῶν, in fine seculi: Hoc enim illi quoque ipsi profitentur, qui medio Novi Test. tempore dicunt, *Hic est! Illic est!* Et venit certe Christus ad ecclesiam suam, eique præsens est, dum illa in terris versatur; sed non illo, quo error ille statuit, modo. Quare verus præsentia modus indicandus erat. Ad hoc autem Servatoris verba h. l. sunt aptissima. Et quod ad παρουσία vocabulum attinet, illud æque præsentiam notat, atque adventum: Vid. 2. Cor. 10: 10. & Phil. 2: 12. quanquam pa-  
rum

rum intersit, *praesentiamne*, an *adventum* hic transferamus. Nam Christus per saepe etiam *venire* ad ecclesiam suam dicitur, quando gratia ac Spiritu suo illi se manifestat, eamque ab hostium vexationibus liberat, vel & castigat. Vid. Joh. 14: 18. Luc. 18: 8. Et intelligendum hic utique esse aliquid, quod ad tempus regni Christi in terris adhuc pertineat, ex collatione quoque loci similis Luc. 17: 24. liquet, ubi *quaeque dies filii hominis*, pro *tempore*, dicitur. At *dies* ille non est novissimus, sed illud tempus, quo Christus se in & cum regno suo manifestat. Conf. ib. v. 22. 26. & 30. coll. & v. 20. Et vero hic speciatim tempus Reformationis respicitur.

§. 10. Opponit autem Christus falso isti praesentiae modo alium, verum qui instar *fulguris* sit, ejusque ab ortu versus occasum effulgentis. Quae similitudo & alias de manifestatione regni Christi adhibetur. Vid. d. Luc. 17: 24. Apoc. 4: 5. & c. 8: 5. Conf. Habac. 3: 11. & praesertim Psal. 97: 4. ubi similiter *fulgura* Christi Regis, promulgato ubique evangelio, *errarum orbem illuminatura*, vaticinabatur Psaltes. Et, quia regnum Dei per evangelii promulgationem e Zione prodiit, Ps. 110: 2. Esa. 2: 3. Mich. 4: 2. hinc forte dicitur hoc fulgur *ab ortu* exire *versus occasum*. Conf. omnino Ps. 50: 1. 2. (quanquam novissimis contra temporibus *ab occasu versus ortum* refulsurum

furum dicatur evangelium, Esa. 59: 19.) Et  
 sane pereleganter hoc symbolum *fulguris* na-  
 turam ac veram rationem spirituales præ-  
 sentia Christi apud ecclesiam suam, directa  
 quidem ad pseudo-propheticam illam oppo-  
 sitione, exprimit. Vera enim Christi com-  
 munitio cum luce veritatis est conjuncta, qua  
 conscientia percellitur & collustratur ad agno-  
 scendam gloriam & amabilitatem Christi: at  
*falsa* contra humanæ opinionis ac supersti-  
 tionis tenebris involuta est, Christique glo-  
 riam obscurat. Adhæc *vera* illa, est viva, &  
 penetrantis efficaciam, per Spiritum nempe  
 vitæ, illam comitantem ac perficientem:  
 Vid. Gal. 2: 20. cum & oppositio *falsa* illa &  
 fictitia præsentia, in imagine, sacrario, pane  
 consecrato, neque res illas, quibus adesse  
 dicitur, vivificet, neque etiam cultores suos;  
 qui, ut *aquila* aves rapaces, *ad cadaver con-*  
*gregantur*, sic & gregatim Christo panaceo,  
 quasi vero & vivo pani de cælo, vitam dan-  
 ti, Joh. 6: 32. seqq. ceu animæ pabulo, inhi-  
 ant. v. 28. (de quo & quali cum subjecto  
 tum objecto, non autem de Christo vero,  
 ejusque fidelibus, sermonem ibi esse, parti-  
 cula adversativa *dè autem*, satis indicat:) ac  
 licet & osculentur Christum in imagine, &  
 ex pane transubstantiam sub hujus specie ad-  
 orent & manducent vel diebus singulis, nihi-  
 lo tamen inde redduntur sanctiores Deoque  
 acceptiores: quod res tam frigida atque  
 mor-

mortua est Christus ille in eremo & cellulis  
 thecisque manufactis, nulliusque virtutis &  
 efficaciam.

§. 11. Sed ad dictum 2. Pet. 3: 4. 10. 12.  
 progrediamur. Ibi sane etiam *adventus Do-*  
*mini*, ejusque *dies, novum caelum & novam ter-*  
*ram*, h. e. novam regni ipsius in ecclesia fa-  
 ciem, quam sub tubicini septimo Apoc. 11:  
 15. fl. futuram adhuc expectamus, antecedit:  
 quæ ipsa quoque Apoc. 21: 1. 2. *novum caelum*  
*2. novum caelum novaque terra* appellatur, &  
*nova Hierosolyma*, è caelo à Deo descensura.  
 Sed age, illustrem huncce locum, quem Cel.  
 COCCEJUS non minus quam reliquos, de  
 Christi ad extremum judicium adventu in-  
 telligendum l. d. notat, (quanquam in *Comm.*  
*ad Apoc. 21: 1.* ab ista sententia discessum  
 etiam fecisse videatur) penitius paulo inspi-  
 ciamus eoque fine totum hic Apostoli sermo-  
 nem intentius consideremus.

§. 12. Vaticinatur ibi Apostolus à v. 3. fo-  
 re ut *extremis diebus* h. e. temporibus N. Test.  
 (illa enim & 1. Joh. 2: 18. *hora ultima* di-  
 cuntur, *prime*, quæ Veteris Test. secula de-  
 notat, opposita: sicuti & Christus propter-  
 ea *primus & ultimus* appellatur, quia ipse sub  
 Veteri & Novo Testamento idem est: Apoc.  
 1: 1. coll. Ebr. 13: 8. Conf. & 1. Pet. 1: 20.  
 1. Cor. 10: 11. Ebr. 9: 26. quanquam ibi postre-  
 ma Veteris potius Test. tempora denotentur)  
 præsertim illis jam provectoribus, *irrisores ve-*  
*niant,*

*nant, secundum concupiscentias suas victuri, (qua-*  
*lium & Pl. 1: 1. fit mentio, ubi Spiritus S. il-*  
*lis certam cathedram, in qua essent sessuri, at-*  
*tribuit, quæ hosce doctrinæ apostolico-evan-*  
*gelicæ irrisores, hac sua de cathedra quasi*  
*apostolica, usque gloriantes, ab Judæis, im-*  
*probis אַיִשִׁים primis Christi hostibus, & à pec-*  
*catoribus, videl. gentibus, Judæorum in odio*  
*Christi ejusque ecclesiæ successoribus, quibus*  
*isti in ordine, ut sermonis ibi, ita & tempo-*  
*ris, postponuntur, manifesto distinctos, sua*  
*quasi nota insignit; qui, quod cum Sadducæis*  
*illis Matth. 16: 3. temporum signa non ob-*  
*servaturi essent aut dignoscituri, neque ex*  
*iis, quæ primum Christi adventum præcesse-*  
*runt, quæque adventum ejusdem postre-*  
*rum antecessura sint, animadversuri, essent*  
*dicturi seu cogitaturi, Dominum adventum suum*  
*toties totiesque ceu instantem promissum, tam*  
*diu differentem, illam adventus sui promissio-*  
*nem frustraturum, v. 4. coll. v. 9. & Matth. 24:*  
*48. quod eodem omnia loco & statu, quo a prin-*  
*cipio creationis, nempe novæ, 2. Cor. 5: 17.*  
*Matth. 19: 28. (h. e. inde à nato seu renato*  
*Christo, qui principium creationis Dei dicitur,*  
*Apoc. 3: 14.) fuerint, permanere eis videan-*  
*tur, iis qui de isto adventu tam multa præ-*  
*monuerant, jam dudum defunctis: d. v. 4.*  
*adeoque & ingentem illam rerum καταστροφήν*  
*conversionem, quæ tempore abolitæ legis &*  
*œconomix veteris, excisæque Hierosolymæ*

& politia Judaica evenisset in ecclesia, & quae iterum eventura esset tempore hujus re-  
formandae Romaeque, seu Hierarchiae status-  
que Antichristi, excidendae, *volentes ignora-*  
*turi v. 5.*

§. 13. Quam tamen, Petrus porro  
docet, latere illos haud posse, qui vetera  
cum novis debitam animi attentione conten-  
dentes, ex illis haec facile perspiciant ac pra-  
videant. Veluti qui speciatim cum  
inundatione & perditione mundi prisci  
eam componant mundi mutationem, quae  
eversa a Romanorum copiis, Judaeam quasi in-  
undantibus, Hierosolymam contigit; cumque  
hac rursus illam, quae tum reformationis jam  
tempore introducta est, tum & postea se-  
cundum prophetias introducetur, sapienter  
comparant. v. 6. 7. Quandoquidem non so-  
lum *mundus qui olim fuerat*, d. v. 6. sive  
*caelum ac terra mundi veteris*, sub oeco-  
nomia vetere h. e. Hierarchia & respu-  
blica Judaica, (quae mysticum caelum &  
terra mystica fuerunt, quippe condita poli-  
tia Israelis, hujusque ab aliis gentibus sepa-  
ratione, & subsecuta foederis pactio, ma-  
gistratuumq; & Doctorum institutione, quon-  
dam creata, V. Es. 51: 6. 9. 10. 13. 14. Psal.  
102: 26. 27. coll. Ebr. 1: 10. 11. 12. Hagg. 2: 7.  
coll. Eb. 12: 26. 27. Exod. 20: 11. coll. Deut.  
5: 15. Prov. 8: 22-31.) cui nova creatio sub  
oeconomia nova, 2. Cor. 5: 17. *novum caelum*  
& ter-

& terra nova Esa. 65: 17. dicta antistat; Vid. Cl. VITRINGÆ *Anacris. Apoc.* p. 60. & *Typ. doct. prophet.* p. 67. sq. & 91. sq. (de ea enim hic Petro sermo est, non vero de coelo teraque naturali, quæ Noachi tempore extitit, quo *cælum* certe non perditum est aut interit: ) iudicio Dei, veteri diluvii iudicio superari, Imperatore Vespasiano ( sicque *ἐκπαλαι*, v. 5. jam dudum ante, quam illi irrisores existerent, ) disperiissent, cum nimirum ab illius copiis quasi inundata pessum ierant, d. v. 5. 6. Conf. Esa. 28: 17. 1. Pet. 3: 20, 21. C. 54-7. 17. 18. coll. Gen. 6: 13. 9. & Esa. 34: 4. sqq. (ecclesia tamen Christi tunc in eo, velut olim familia Noachi, per aquam servata, d. 1. Pet. 3: 20. 21. ) sed & *cælum* ac *terra* mundi Antichristiani, quæ *tunc* quidem adhuc essent, cum irrisores isti dicerent, eodem loco, quo ab initio fuissent, permanere, ( quorsum τὸ νῦν nunc v. 7. tendit ) sed igni iræ divinæ, quo suo tempore essent consumenda secundum prædictionem *verbi Dei*, seu propter illud, *instar thesauri reposita adservarentur*, d. v. 7. Conf. 10: 12. & Apoc. 17: 6. C. 18: 8. nempe *in diem singularis iudicii* & *perditionis hominum impiorum*, h. e. Antichristianorum, ( hac appellatione passim a Spiritu S. notatorum: Vid. Esa. 11: 4. coll. 2. Theff. 2: 8. & Jud. v. 14. 15. ubi Enoch, septimus ab Adamo, de eodem *impiorum* iudicio, videl. tum nominis sui significatione, tum & generationis gradu,

quæ septima est, aliisque vitæ suæ circumstantiis, vaticinatus dicitur. Vid. Cl. DEUSINGIUS, *Demonst. Allegor. Histor.* §. 139. ejusque *Apolog.* §. 38. sq.) v. 7. coll. v. 10. 12. similiter essent præteritura. Confer. Apoc. 20: 11.

§. 14. Quod etsi aliquandiu protraheretur, & mille anni isti Apoc. 20: 1. sqq. intercederent, quia tamen *mille anni apud Deum sint ut vigilia nocturna*, imo *ut unus dies hesternus*, qui præterit, Psal. 90: 4. *non pro tarditate* aut tergiversatione in præstando promisso sui adventus, & novi cœli ac terræ novæ, possit reputari, v. 8. 9. ab iis saltem, qui & in genere animadvertant, ἐξάντηρον creationis, cum omnibus operibus suis, (Gen. 1.) omnia illa fata & vicissitudines præfigurasse, quæ Ecclesia cum Veteris tum Novi Test. experta est, & porro expertura, unoquoque die millennii instar apud Deum habente, adeoque & sex utriusque tempora, seu dies magnos mundi, totidem quasi millenniis æquiparatos, septimum, tanquam Sabbathum magnum antitypum, antecedentes, (de quo & vetus Judæorum traditio nota est, Vid. Gemar. Sanhedrin, & præsertim Cel. COCCEJUM ad C. XI. Sanhedr. §. 19. quam & BARNABAS, *Epist.* C. XI. LACTANTIUS L. 7. *div. Inst.* C. 14. & 25. it. CYPRIANUS, *Præf. Exhort. ad Mart.* & *Epist.* 58. ad *Tibar.* &c. sequuntur) præsignasse. Vid. PUNGELERUS,

investig. myster. creat. primæ, WAEYENUS de  
 Num. Septen. d' OUTREIN in Emblem. Sacris  
 & LAMPIUS de Fæd. grat. sub Oecon. pro-  
 miss. C. 5. aliique. Id quod non vult D. PE-  
 TRUS, ut Christianos lateat, tum propter  
 irrisores illos, tum &, quoniam hoc omnis  
 prophetiæ synopsis quædam & quasi tabella  
 est, in qua omnium temporum signa delinea-  
 ta extant omnia: v. 8. quo Apostolus verba  
 Psal. 90: 4. *Mille anni coram te, Deus sunt ut  
 dies hesternus, cum transiit, & ut vigilia in nocte:*  
 suo proposito applicaturus ita immutat, ut,  
 quod illic speciatim de illorum seculorum in-  
 tercapedine dici videtur, quibus ecclesia N.  
 T. à Morte & Sepulchro conterenda erat,  
 Apoc. 6: 8. & vitæ rursus restituenda, Apoc.  
 20: 13. ipse ad omnes Novi Test. periodos, per  
*ἡμέραι* primæ Creationis præsignatas vi-  
 deatur referre; quodque illic simpliciter dici-  
 tur, ipse hic reciprocet, dicens, *unum diem  
 apud Dominum esse ut annos mille; & mille annos  
 ut diem unum:* typum sic cum antitypo con-  
 jungens. Nisi enim prius ad typum *ἡμέραι*  
*πρω* creationis referatur, & posterius ad anti-  
 typum totidem periodorum Novi Test. illi  
 respondentem, & præsertim illius periodi,  
 qua Bestia, Draconi jam victo & victo suc-  
 centuriata, (Apoc. 13: 2. coll. C. 12: 9. sqq.)  
 sanctos, cum Christo quidem interea tamen  
 regnantes, (Apoc. 20: 4.) erat debellatura,  
 idem sane bis diceretur, nec apta reciproca-  
 tionis

tionis reddi forte poterit ratio: qualis <sup>ταυτο-</sup>  
 λογία, imo βαρτολογία, Spiritu S. utique est  
 indignissima. Vid. Matth. 6: 7. & Conf. OVID.  
*Metam.* L. 2. fab. 14.

§. 15. Vel, si ibi per *Mille annos*, pro tem-  
 pore longissimo acceptos, totum Vet. Test.  
 tempus intelligendum sit, (quod nuper Cl.  
 DEUSINGIUS in *Exegefi* ad Ps. 90. *Class.* III.  
 hujus *Biblioth. Theol.* fasc. 5. p. 778. præferebat)  
 perinde ac *Millennium* hoc, *heri* dicitur, Ebr.  
 13: 8. itemque *nox*, Esa. 21: 11. Rom. 13: 12.  
 Apostolus hic ad tempus illud diurnum Pa-  
 patus, quod & *Millennii* appellatione venit,  
 d. Apoc. 20: 4. prospiciens, ex his verbis  
 Psaltis (ad demonstrandum, tam longi tem-  
 poris moram non indicare *tarditatem* aut *ter-*  
*giversationem* Dei in præstando promisso) ita  
 ex dicti Cl. Autoris mente ratiocinari dicen-  
 dus est: „Sicut Deus tempore Vet. Test., li-  
 „cet tam diurno, non tardavit promissio-  
 „nem resurrectionis mortuorum, patribus fa-  
 „ctam, Act. 26: 8. sed eam rato tempore sti-  
 „tit, posteaquam spem & expectationem fi-  
 „delium satis exercuisset, & impotentiam  
 „omnis carnis abunde demonstrasset; ita &  
 „Deus tempore Novi Test. dum ecclesiam  
 „suam, *portis Sepulchri* mancipatam, derelin-  
 „quere videtur, non tardat promissionem  
 „resurrectionis ejus, seu reformationis, sed  
 „patienter animo utitur, ne quis electorum  
 „pereat: v. 8. 9. Itaque longanimitas ejus  
 „non

„non tardatio, sed *salus*, dicenda est. v. 15.  
 Propterea enim Petrum verba Psaltis reci-  
 procare d. l. existimat, non tantum dicendo,  
*Mille anni apud Deum sunt ut dies unus* sed etiam,  
*unus dies apud Deum ut anni mille.* q. d. „Sicut  
 „*Millennium*, h. e. tempus illud longinquum,  
 „quo vetus œconomia duravit, fuit apud  
 „Deum instar unius diei, quidem hesterni,  
 „cum ille, œconomia illa ocyus abrogata &  
 „evanescente, promissum suum præstitit: ita  
 „*unus dies* reformationis erit apud Deum in-  
 „star millennii, h. e. longi temporis Papatus,  
 „vel etiam totius temporis Novi Test. cum il-  
 „le eo, quod toto illo tempore extructū & de-  
 „structum erat, uno illo die in integrum re-  
 „stituto & reconvallescente, promissum illud  
 „præstabit.

§. 16. Sed tamen (pergit de hinc Apосто-  
 lus v. 10. ff.) *Dominum*, tam multa hæctenus  
 longanimitate usum, (quippe nolentem,  
 aliquos perire, sed omnes ad resipiscentiam  
 transire, d. v. 9.) moras illas tandem ruptu-  
 rum, ejusque *diem*, qui dilatus plus nimio  
 irriforibus erat visus, & vel nunquam ven-  
 turus, *subito* inopinatoque, *furis instar noctur-  
 ni venturum*, perque illum *παραίτας* *adventus* ejus  
*diem*, & in ea, *cœlum ac terram* hierarchiæ sta-  
 tusque Antichristi, non secus ac olim etiam  
 cœlum & terra hierarchiæ statusque Judæo-  
 rum, (quæ, veteri œconomia cum nova  
 commutata, disparere, cœloque & terræ

creationis novæ 2. Cor. 5: 17. in *παλιγγενεσις*  
 Novi Test. Matth. 19: 28. cedere debuerunt,  
 Esa. 34: 4. C. 51: 6. C. 65: 17. Pf. 102: 27. coll.  
 Ebr. 1: 10-12. Hagg 2: 7. coll. Ebr. 12: 26, 27.)  
 pessum esse itura, *novoque cælo & terra nove*  
*regni Christi immobilis, quæ secundum ejus*  
*promissionem adhuc expectanda essent, & in qui-*  
*bis justitia (cum pace & gaudio Spiritus S.*  
 Matth. 6: 33. Rom. 14: 17.) quæ cælo & terra  
 mundi Antichristiani prorsus proscrip-  
 tum inibi non habuerat, posthac æternum  
 habitatura sit, locum factura. Quam cæli  
 terræque Antichristianæ destructionem, Pe-  
 trus dicit, *cum fragore magno fore, maximis*  
*quippe motibus passim intercessuris, (Conf;*  
 Apoc. 11: 13, 19. C. 6: 12. sqq. C. 16: 18. sqq.)  
 & per ignem, iræ nempe divinæ, Jer. 4: 4.  
 C. 7: 20. C. 21: 12. Deut. 32: 22. *terram cum*  
*operibus suis combusturum, & cælum atque elemen-*  
*ta, puta prima papalis regni principia ac sta-*  
*mina seu fundamenta, infirmis egenisque*  
*mundi quondam Judaici elementis Gal. 4: 3.*  
 9. Col. 2: 8, 20. *supparia, liquefacturum, &*  
*ne sarcinæ illæ graves ligatæ conscientias*  
*porro onerent, dissoluturum: h. e. per ignea*  
*Dei judicia, quibus Babylon mystica cum o-*  
*mnibus mercibus & operibus suis, ipsaque*  
*etiam Bestia, cui meretrix illa magna in-*  
*equitat, consumenda & cum illa ipsa quasi*  
*comburenda, in Apocalypsi quoque legitur:*  
 C. 17: 16. C. 18: 8. sqq. C. 19: 2, 3, 20. Conf.  
 Dan.

Dan. 7: 10. 11. Esa. 66: 15. sqq. sicque demum novum cœlum terramque novam in omni gloria sua fore conspiciendam, de quibus promissionem per Vates antiquos fecerit Dominus. Quo ipso manifesto ad Esaiaë imprimis vaticinium d. C. 66: 22. respicit Apostolus, ubi, descripta Ecclesiæ novissimi temporis felicitate ac gloria, inter alia *novum quoque cœlum & nova terra*, a Deo creanda, memoratur: postquam ibidem quoque in antecedentibus, d. v. 15. & seqq. *judicium Dei per ignem*, quo etiam hic *cœlum & terra*, seu hierarchia Antichristi, & quæcunque ad eum pertinent, modo dicebantur consumenda, plane *παράλλωλος* fuerat enarratum; ut sua inde nonnulla ex parte utuatum hic esse Petrum non dubium sit, neque adeo hic magis, quam illic, status gloriæ hac vita defunctorum in vita æterna spectari possit. De *justitia* quam in novo hoc cœlo & nova terra *habitaturam* dicit Apostolus, jam ante vidimus.

§. 17. His & plane concinit prophetia Johannis, Apoc. 20: 11. & C. 21: 1. 2. (quæ hanc Petri, cui prorsus parallela est, insigniter illustrat; quemadmodum hæc illi vicissim plurimam lucem reddit) ubi cœlum & terra dicuntur fugitura (Conf. & omnino Apoc. 6: 14. ubi idem illud etiam sub sigillo sexto, sicq; ante ultimi seu septimi apertionem jam eventurum dicitur) a conspectu Christi Domini, in throno magno & candido veritatis, justitiæ se manife-

stantis; ut Judicem, (*sedentem ad judican-  
dum mortuos*, h. e. mortis secundæ potestati  
subjectos, seu homines Antichristianos, d. C.  
20: 12. 13. coll. v. 6. C. 11: 18. *secundum opera  
ipforum*, ad normam eorum, *quæ in apertis ite-  
rum Scripturæ S. libris scripta sunt*, exigenda;  
d. v. 12. Conf. Rom. 2: 16.) *ut nec locus illis  
porro inveniendus sit*; Deinde vero *novum cœ-  
lum novamque terram*, prioribus istis (quæ plane  
*preterierant*, neque amplius *existent*) successu-  
ra, quæ & *nova Hierosolyma* appellantur, à  
*Deo è cœlo descendens*. &c. Quæ itidem sane ad  
dictum Esaiæ vaticinium respiciunt, sicque  
eandem hierarchiæ Antichristi destructionem,  
novamque regni ipsius in ecclesia, inque hoc  
adhuc mundo, faciem ac statum felicissimum,  
cœlesti beatarum animarum gloriæ quodam-  
modo *ἀνάλογον*, illi successurum, ostendunt;  
quemadmodum & hoc Johannis Visum qui-  
dam veterum interpretum, (ut Pet. Joh.  
OLIVI, apud Baluzium, *Miscell.* T. I. p. 216.  
Alphonf. Conr. MANTUANUS, & Jac.  
BROCARDUS,) quam recentiorum proba-  
tissimi, BRIGTMANNUS, FORBESIIUS,  
COCCEJUS, quique eum sectantur, & ipse  
quoque (quod ad Cap. 21. Apoc.) VITRIN-  
GA, istum in modum, ex aliis de ecclesia  
novissimi temporis vaticiniis, phrasibus &  
emblematis iisdem constantibus, expli-  
carunt.

f. 18. Cum igitur *cœlum hoc novum*, idem-  
que

que tertium, ut vidimus, denotet non cœ-  
 lum angelorum & beatarum animarum, in  
 oppositione cœli aerei & ætherei, tanquam  
 primi & secundi; sed, μεταφορικῶς, regnum  
 Christi, novissimo tempore in pace gloriosa  
 consummandum, cœlo seu hierarchiæ Ju-  
 daicæ & Antichristianæ oppositum; cumque  
 Petrus hic illum *adventus Domini* describat  
*diem*, quo, cœlo & terra Antiehristi ab ipsius  
 conspectu fugituris, ac *præterituris*, cœlum no-  
 vum terraque nova regni illius consummati es-  
 sent successura; (d. Apoc. 20: 11. coll. C. 21:  
 1. & Esa. 66: 22.) clarissimum pariter atque  
 certissimum est, *παραστασιν* adventum Domini, de  
 cujus die hic Petrus loquitur, haudquaquam  
 de visibili ejus adventu ad extremum iudicium &  
*assumendum fideles in gloriam*, notare posse. Q.  
 E. D.

§. 19. Unum hic addo de ejusdem Apo-  
 stoli verbis ex 1. Ep. 4: 7. quæ supra ad illu-  
 strationem versus 6. C. 3. Ep. adduxi, ubi suo jam  
 tempore *omnium imminere finem*, scripsit: nimi-  
 rum, respexisse eum in his omnino ad dilu-  
 vium, (eujus & Præced. 3: 21. meminerat, &  
 ad Gen. 6: 13. ubi Deus de mundo prisco, per  
 diluvium perdendo, sic locutus fuerat) & hoc  
 velle, sicuti, diluvio typico instante, *finis uni-  
 versæ carnis advenerat*, d. Gen. 6: 13. ita & suo  
 tunc ævo imminente videl. diluvio antitypi-  
 co, per excidium tum Reip. Judaicæ tum  
 imperii Romano-gentilis, perque amotionem  
 tum

tum cultus umbratici Judæorum, tum cultus idololatrici gentilium *finem omnis carnis* illo intuitu *imminere*. Quandoquidem Christo datum erat a Patre omne judicium, Joh. 5: 22. h. e. judicium in *omnem carnem*, uti est Joh. 17: 2. in Judæos & Græcos, propediem exercendum, d. Joh. 5: 27. Matth. 16: 27. 28. Act. 10: 42. C. 17: 31. Rom. 2: 5. 9. 16. Quo & Petrus v. 5. d. 1. Ep. 4. respicit, & Jacobus, C. 5: 9. nec non Paulus, Phil. 4: 5.

§. 20. Sed in viam. Sic & 2. Theff. 2: 8. *παρουσία*, *adventus Domini*, non de extremo videtur intelligendus, sed de ejus adventu ad regnum suum consummandum sub tubicinio septimo: Apoc. 11: 15. sqq. quo adventu ipse Antichristum tandem plane abolebit, longo satis ante ejus ad extremum judicium adventum intervallo. Siquidem regnum, quod Christus, perditis terræ perditoribus magna-que meretrice damnata, capesset, d. Apoc. 11: 17. 18. C. 19: 1-6. non erit momentaneum, d. C. 11: 15. Sed & huncce locum paulo intentius lubet considerare, ut certo constet, *illustrem* hic Domini *adventum* de illo, quem dixi, non vero de novissimo ejus ad judicium extremam adventu, esse exaudiendum. Vaticinatur ibi Apostolus, Dominum suo tempore Antichristum, postquam revelatus jam, sive manifestus esset factus, *Spiritu oris sui paulatim consumiturum* (hoc enim est *ἐνδύσει*) ac tandem prorsus *aboliturum* τῆ

ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας αὐτοῦ, apparitione sive  
 manifestatione adventus sui. Sicut & Syrus in-  
 terpres reddidit, נִשְׁתַּבַּח rectius quam Beza,  
 qui illustrem adventum transtulit. Ἡ ἐπιφάνεια  
 Domini, apparitio ejus, (ceu ortæ lucis) nihil  
 Apostolis aliud denotat, quam lucem veritatis,  
 in & e tenebris effulgentem, hominesque illumi-  
 nantem, 2. Cor. 4: 6. quo cognoscant & con-  
 fiteantur, Jesum Christum esse Dominum,  
 Phil. 2: 11. Quo sensu vox illa utique venit  
 2. Tim. 1: 10. C. 4: 1. 8. 1. Tim. 6: 14. Tit. 2:  
 13. (cum alias, apud scriptores apocryphos,  
 illustrem divine potentie manifestationem notet,  
 sive ostentum: Ut 2 Maccab. 3: 24. ἐπιφάνειαν  
 μεγάλην ἐποίησε, ostentum magnum edidit: apud  
 Scriptores vero ecclesiasticos τὰ ἐπιφάνεια fe-  
 stum Magorum designant, quo manifestatio  
 Christi, gentibus per evangelium facta, celebra-  
 tur, quarum illi primitiæ fuerunt: Id quod di-  
 ctam vocis ἐπιφάνεια significationem & con-  
 firmat & illustrat.) Sic & in hunc sensum  
 Luc. 1: 79. dicitur, Ortum ex sublimi (Solem  
 justitiæ, Mal. 4: 2.) invisisse fideles rato tempo-  
 re, ἐπιφάνειαν, ad illucescendum iis, qui sedebant in  
 tenebris, (gentibus) & in umbra mortis. (Ju-  
 dæis.) coll. Matth. 4: 16. Sic & Apostolus  
 Tit. 2: 11. & C. 3: 4. meminit gratiæ salutaris,  
 quæ omnibus hominibus apparuerit sive illuxe-  
 rit; (ἐπιφάνειαν) Item 2. Cor. 4: 4. illustrationis  
 evangelii gloriæ Christi. coll. v. 6.

§. 21. Ex quibus patet, manifestationem seu  
 ap-

*apparitionem Domini instar luminis, non visibilem ejus ad judicium extremum adventum proprie, aut statim, ac semper designare (forte nec 2. Tim. 4: 1. ubi apparitio Domini, ejus regno, tempore novissimo, sub tubicinio septimo in gloriosa pace consummando, Apoc. 11: 18. præponitur: Vid. v. 8.) præsertim cum eadem 1. Tim. 6: 14. 15. coll. C. 2: 6. & Tit. 1: 3. καί ποίς ἰδίαι, temporibus certis opportunis, nempe secundum præfinitas à Deo rerum occasionumque circumstantias, fieri dicatur. Quemadmodum Christus Apostolis ipsum jam in cœlum adscensurum interrogantibus, num isto jam tempore regnum Israëlisset restauraturus? respondebat, regnum suum non uno tempore, sed diversis temporibus, & quasi gradatim, iri erectum; loquens nimirum de temporibus, χρόνους, & opportunitatibus, καιροίς, quæ Pater (cui præfinitio & prædictio futurorum in prophetiis, certo sensu priva est. Vid. 1. Pet. 1: 2. 20. Matth. 20: 23. Rom. 8: 29. 30. 37. Act. 15: 18. &c.) in propria ipsius potestate posuisset, h. e. in prophetiis prædixisset: quæ tunc nondum quidem ipsorum esset nosse, brevi tamen, post acceptum Spiritum S. cognituri essent. Act. 1: 6-8. Ut ita Christus, tanquam Dominus, diversis apparuerit temporibus. V. g. 1. tempore præcæni Apostolorum & Virorum Apostolicorum, præsertim post everisionem templi statusque Judaici. 2. tempore Constantini M. 3. tempore*

re reformationis ecclesiæ, & 4. ita adhuc appariturus sit, quando is, Judæis & gentibus adhuc reliquis conversis, regnum suum in pace gloriosa consummabit, Hierosolyma nova a Deo e cælo descensura, ipsoque cum suis habituro, & tabernaculum cum hominibus habituro. Apoc. 21: 2. 3. Quod nimirum tempus vox ἐπιφάνεια tam hic quam 2. Tim. 4: 1. respicit: ut & d. 1. Tim. 6: 14. quamquam ibi simul ad tempus reformationis prospicitur: quod hic vel obiter ostendere juvabit.

§. 22. Apostolus, dum ibi Timotheum, cui paulo ante v. 12. præceperat, ut, *præclarum fidei certamen decertans, vitam æternam apprehenderet*, quæ, coronæ instar, in extremo stadio erat suspensa, (conf. 1. Cor. 9: 24. 25. Jac. 1: 12. Apoc. 2: 10.) v. 13. & 14. gravissimè coram Deo, omnia vivificante, & Jesu Christo obtestatur, ut illud præceptum observanter custodiat usque ad *apparitionem Domini*, (quam v. 15. subjicit, certo demonstraturum Deum, Regem regum, & Dominum dominorum, *tempore opportuno*, h. e. secundum præfinitas rerum & occasionum circumstantias;) non obscure indicat, *Timotheum*, h. e. ecclesiam, *Deum*, non secundum præcepta hominum & in ἐφελοθρεσκεία, Matth. 15: 4. 9. Col. 2: 23. sed rite & ex verbi ipsius præscripto, *honorantem & colentem*, eique propterea *caram ac preciosam*, (hanc enim

enim occultiore sensu *Timotheus*, homo Dei, sensu sic colectivo, uti 2. Tim. 3: 17. dictus, designat) nondum devenisse ad vitam æternam, s. resurrectionem mortuorum, (mysticam illam) Phil. 3: 11. spei suæ fundum ac scopum ultimum. Nimir. superius v. 3. 13. eum serio fuerat exhortatus, α. ad fugiendum inutilem ac litigiosam doctrinam scholasticam, & ad abominandum turpem & insatiabilem eorum avaritiam, qui, volentes ditescere, *pietatem* sive religionem in *quæstu* haberent, (quibus manifesto nundinationes sacerrimas in foro mysticæ Babylonis Ap. 18. notat) una cum *thesauris* Ægypti mysticæ & cupiditatibus mundi Antichristiani, homines in exitium & perditionem demergentibus; (instar lapidis istius magni quasi molaris, Apoc. 18: 31. cujus abiectioni in mare poena istius Babylonis assimilatur) inquit: *fuge ista!* Conf. d. Apoc. 18: 4. Esa. 48: 20. Contra vero β. ad *sectandam justitiam, pietatem, fidem, dilectionem, patientiam & mansuetudinem*, itemque ad *decertandum* illud, quod dixi, *præclarum fidei certamen*, & ad *adprehendum vitam æternam*, ad quam ε vocatus esset. Quod perinde est ac si dixisset, *persequendum ipsi esse scopum & brabeum supernæ vocationis Dei in Christo*, idque *comprehendendum*, d. Phil. 3: 14. & 12. 1. Cor. 9: 24. sq. *quærendum ipsi regnum Dei ejusque justitiam*, Matth. 6: 33. idque vi quasi facta,

occupandum. Matth. 11: 12. Regnum enim Dei, quod, in oppositione regni & vitæ corruptibilis, sive desiturae, Israël veteris in Cananæa, (Vid. 1. Pet. 1. 4.) hic, uti & alias, *vita aeterna* dicitur, Vid. Matth. 19: 16. 17. coll. V. 14. & 23. it. v. 29. 28. Joh. 3: 5. 36. C. 4: 36. 35. C. 6: 68. Marc. 9: 45. 47. 2. Tim. 11: 12. &c. (promissa ante secula Vet. Test. nunc vero sub Novo T. per evangelium in lucem prolata, Tit. 1: 2. 2. Tim. 1: 10. *Vita etiam mundi*, scil. gentium, Luc. 12: 30. dicta, Joh. 6: 33. Coll. Act. 11: 18. Rom. 11: 12. & *salus*, videl. gentium, d. v. 12. sive *animarum multarum*, 1. Pet. 1: 9.) constat *justitia fidei* Rom. 14: 17. & *pietate*, ἐν οὐβείᾳ, (h. e. cultu sincero & rationali, Rom. 12: 2. Matth. 15: 9. in fide & dilectione non fucataposito, 1. Tim. 1: 5.) & accipitur non sine *se-ctatione & prehensione*, Phil. 3: 12. 1. Cor. 9. 24. 25. nec sine *decertatione* multi ingentisque *certaminis*, 2. Tim. 4: 6. C. 2: 5. Act. 14: 22. adeoque per *mansuetudinem & patientiam*. Vid. Luc. 13: 24.

§. 23. Hoc igitur præceptum, de *preben-denda vita aeterna*, cum antedictæ ecclesiæ in sequentibus v. 13. 14. commendat Aposto-lus, eamque coram Deo *omnia vivificante* obte-statur, ut id custodiat; indicat, eam illo uti-que tempore vitam hanc æternam, promis-sam vitam mundi, sive conversionem gen-tium plenariam, nondum esse consecutam,

seu, ut idem Phil. 3: 12. & Act. 26: 18. loquitur, ad *resurrectionem mortuorum*, mysticam puta, nondum *devenisse*; non ad primam illam, Apoc. 20: 6. quæ est prior gentiliæ orbis Romani vivificatio; Joh. 5: 25. quia succedens ei mors secunda d. C. 20: 6. vitam illam quasi absorbens, (h. e. seductio Anti-Christi) impediit, quo minus ista mortuorum resurrectio *vita æterna* dici possit: Sed ad secundam, quæ est ecclesiæ Reformatio, & mortis secundæ potestatem subsecutura erat, Apoc. 6: 8. C. 20: 13. C. 21: 4. (vita nimir. per evangelium reproductum in lucem denuo producta) cum vita mundi, h. e. cum Judæorum tum gentium omnium, sive totius terrarum orbis, (Rom. 11: 15. coll. v. 11. 12. Joh. 5: 38.) conjuncta, *vita vere æterna & indissolubilis*, quippe a potestate mortis secundæ nunquam rursus opprimenda nec perimenda; Matth. 16: 18. quemadmodum ipsum etiam evangelium, tunc quasi renatum, eo tempore cum *ἰμψαίσει æternum* appellatur. Apoc. 14: 6.

§. 24. Et cum porro v. 12. testatur, Timotheum mysticum *præclaram professionem illam professum esse coram Jesu Christo*, qui similiter *præclaram professionem illam coram Pontio Pilato testatam fecerat*, ut dictum præceptum usque ad *apparitionem Jesu Christi custodiat*, v. 13. tale indigitat tempus, quo eadem ecclesiæ Christianæ fors esset, quæ Christi olim fuerat, cum  
an-

ante tribunal Pilati constitutus, ac fero potius quam regi similis, nihilominus regem se profiteretur, at regnum suum, quod regnum erat veritatis, in eo consistere aiebat, quod qui ex veritate essent (veritatis filii) veritati auscultarent ac parerent. Joh. 18: 37. Quale tunc fuit tempus, cum Dominus noster in Ægypto mystica reus peragebatur in corpore suo mystico, jam jam denao crucifigendus; Apoc. 11: 8. Ubi tunc coram multis testibus, Waldensibus puta & Hussitis, (Apoc. 14: 1.) professus est Timotheus ille mysticus, sive Ecclesia illa, non Papam, non Imperatorem Rom. sed Jesum Christum esse Regem (Sanctorum, Apoc. 15: 3.) ejusque regnum in testimonio aut confessione ac fide veritatis consistere. Vid. Cl. DEUSING, Diss. 1. de revelat. myst. Trinit. §. 18.

§. 25. Ex quo jam patet, Apparitionem (ἐπιφάνεια) Jesu Christi Domini nostri, omni procul dubio de ejus manifestatione, per præconium evangelii regni ipsius facta, hoc loco exaudiendum, nec tam de illa, quæ mortem & resurrectionem ejus primo tempore excepit, & per aliquot inde secula protracta est, (quamvis ea quoque 2. Tim. 1: 10. ἐπιφάνεια apparitio Domini J. C. dicatur) quam de illa, quæ, per passionibus ecclesiæ sub Antichristo, posterior, per evangelii æterni promulgationem facta est, & porro fiet, Matth. 24: 14. ad convertendos Judæos & gentes, Rom.

ii: 15. 25. 26. coll. Esa. 59: 20. videl. καί ποτε  
*idiotis tempore opportuno*, secundum præfinitas  
 a Deo rerum occasionumque circumstantias,  
 ut hic v. 15. dicitur. coll. 1. Tim. 2: 6. & Tit. 1:  
 3. Postrema enim hæc evangelii (np. æterni)  
 annuntiatio κατ' ἐξοχήν appellatur ἡ ἐπιφάνεια  
 τῆς κυρίας *apparitio illa Domini*: quia tunc  
 demum luculentissime apparebit, Jesum esse  
*Dominum*, cum, subditis sibi terræ regibus &  
 dominis, omnibusque hostibus pessundatis,  
 ipse solus, ejusque veritas, mendacio omni  
 oppresso, sola, toto terrarum orbe regnabit,  
 omnique conscientia imperabit, (1. Cor. 15:  
 24-28.) d. v. 15. & 16. coll. Apoc. 19: 16.  
 Cum igitur sic quoque 2. Theff. 2: 8. *apparitio*  
*Christi* (np. postrema illa evangelii æterni pro-  
 mulgatio) intelligatur, ubi Dominus *appari-*  
*tione adventus sui* Antichristum (jam ante re-  
 velatum, & Spiritu oris ejus *consumtum*) prorsus  
 tandem dicitur *aboliturus*; facile patet, nec  
 vocem παρυσία, *adventus*, in hac phrasi, *ap-*  
*paritione adventus sui*, ibi visibilem Christi ad  
 extremum judicium adventum denotare  
 posse.

§. 26. Hoc unum hic insuper observamus,  
 quod, sicut ἡ ἐπιφάνεια, ita etiam ἡ δόξα λυ-  
 φισ, *revelatio, Christi Domini*, ab ejus in die *πα-*  
*ροικητικῶ* adventu visibili multum differat,  
 hæcque Apostolis manifestationem regni gra-  
 tia i. suis cælestis, (quod & *mysterium Dei* *Christi*  
 appellatur, Col. 2: 3. coll. Eph. 5: 5.  
 Rom.

Rom. 16: 25. 26. Apoc. 10: 7. 1. Cor. 1: 7. Eph. 3: 2 - 6.) seu Christi potius in illo, tanquam Domini, per ejus verbum, Spiritum & judicium, in hostes ecclesiae exercita, factam, denotet, (Vid. supr. §. III.) quae jam ab initio Novi Test. (cum ille, tanquam equo candido insidens, arcumque & coronam gestans, visus est egredi ut vincens & ut vinceret, Apoc. 6: 2. Psal. 45: 4. 5. 6.) coepit, & paulatim subinde quasi per gradus continuata, tandem plene consummateque fiet, cum, tuba septima canente, totius orbis terrarum regna Domini Dei nostri, & Christi ejus erunt, isque aeternum regnabit: Apoc. 11: 15. conf. Esa. 60: 10. 11. 12. Pl. 93: 1. 96: 10. (ubi tunc rursus tanquam equo candido vectus, sed coronis jam plurimis ornatus, vesteque sanguine hostium adspersa indutus, conspicietur, in justitia judicans & belligerans, omnesque sibi hostes subjiciens, ut Rex regum & Dominus dominorum: d. Apoc. 19: 11. 12. 13. 16. coll. 1. Tim. 6: 15.) ita ut Christus in hac sui, regni sui, revelatione gradatim quasi proficiat, prout nimir. paulatim, hoste alio post alium pessundato, Pl. 110: 1. Ebr. 2: 8. regni sui pericula profert. Vid. Esa. 26: 15. C. 66: 23. Pl. 68: 25. Quae de Christi, tanquam Domini, in regno suo ἀποκάλυψις, revelatione graduati, Apocalypsis Johannaë, quae C. 1: 1. ἀποκάλυψις Ἰησοῦ χριστοῦ dicitur nomen habet. Ita hoc sensu παθητικῶν passivo, ἀποκάλυψις revelatio, per-

perinde ut & ἀποκαλύπτεσθαι *revelari*, (pro quo & alias τὸ φανεροῦσθαι usurpatur, Vid. Col. 3:4. 1. Joh. 3: 2 1. Pet. 5: 4. cui, ut 2. Cor. 12: 1. ὁπλοσία. *visio*, ita Eph. 3: 3. γνώσεως, *notificatio*, utraque sensu προηγουμένου *active* opponitur,) de revelatione sive manifestatione gratiæ & regni Christi, seu hujus in illo, passim sumitur, ut Luc. 17: 30. 1. Cor. 1: 7. 2. Thess. 1: 7. 1. Pet. 1: 7-13. C. 4: 13. C. 5: 1. 1. Cor. 1: 7. coll. Rom. 8: 18: 19. 1. Tim. 6: 15. Quorum priora quatuor loca jam supra §. III. vidimus.

§. 27. Ex his jam satis constabit, non statim de die novissimo, *Christique ad iudicium extremum adventu*, cogitandum, ubicunque ejus vel *dies vel adventus*; ut neque ubi ejus *apparitio vel & revelatio*, in Scripturis memoratur: nec etiam, ubi Christus *venire aut venturus* dicitur: Sed, *adventum Dei & Christi* passim ibi manifestationem ejus per singularia, quædam iudicia, vel in suos, vel in hostes ecclesiæ, exercita, aut alia quædam opera, in ecclesiæ suæ emolumentum præstita, de potentia ipsius *suprema & majestate gloriosa* palam testantia, denotare. Qualismodi ejus manifestatio *dies quoque Domini*, isque & *magnus, illustris, aut terribilis*, appellari solet: (Vid. Esa. 2: 12. C. 13: 6. 9. C. 34: 8. C. 63: 4. Joël 1: 15, C. 2: 1. 2. 11. 31. coll. Act. 2: 20. Jer. 30: 7. Amos 5: 18. Zeph. 1: 14. 15. Obad. v. 15. Mal. 4: 5. Luc. 17: 22. 24. 30. Ebr. 10:

25. 2. Theff. 1: 10. &c.) ad quam & venire dicitur, ut supra jam ex quamplurimis Scripturæ locis vidimus: quibus addi possunt Apoc. 2: 5. 25. C. 3: 3. 11. ubi Christus ecclesiæ tam primi, quarti & quinti, quam sexti, temporis cito subitoque se dixit superventurum, ad eam tum castigandam tum & ex angustiis liberandam atque servandam, vel & in regnum suum consummatum introducendam.

Vid. Luc. 12: 36. sqq. Apoc. 22:

12. 20.



II.

Jo. Christophori HARENBERGII,

Rectoris Scholæ Gandersheimensis,

De PAULO in cælo tertio

agente comperto ad 2. Cor. XII: 2, 3, 4, 7. Exercitatio.

Συνοψις.

Quid sint ἀγγελια, quæ Paulus audivit 6. 1, 2. ἄγγελος quid notet? Locus Phil. II: 6. illustratur.

Rr 4

S. 3.

§. 3. Paradisus an differat a cœlo tertio. Paradisus locus beatorum. Etiam apud profanos scriptores. Infernus & cœlum sub variis emblematicis proponuntur. Muhammedanorum & Judæorum de statu post mortem locutiones non ad literam sunt explicandæ. §. 4. Tres cœli etiam cogniti aliis. Quid raptus in cœlum tertium? Tres visionum species recensent Judæi. §. 5. Quid per ἀρρητα intelligendum? an ineffabilia? §. 6. An quod nunquam eloquendum? Mysteria Gentilium Eleusinia. Silentium in Isidis sacris §. 6. Ἄνθρωπος ἐν χερσὶ quid sit §. 8. Verba, πάντα ἔκ ἐστὶν ἄνθρωπος λαλεῖν quid significet §. 9. Totius κομματὸς sensus. Quo anno Paulo ille raptus obtigit, disquiritur. §. 10. Cornelius centurio fuit profelytus portæ. Non fuit ethnicus. Εθνη dicuntur quoque Judæi §. 11. Palus Pauli carni infixus quid sit? Angelus Satanæ est homo malus §. 12.

§. I.

**S**criptura sacra ad nostram doctrinam divinitus publicata est. Cum vero ex plane inexplicabilibus nullus hauriri possit usus, nullaque doctrina, videndum est, num illa ἀρρητα aliquo ad minimum modo explicari & in usum animi humani converti possint.

§. 2. Animus Pauli extra se positus de miraculo, intra vires ipsius patrato, testatur. Enthusiasmi & imaginarii ingenii incredibile quidem est robur, sed debito adhibito discrimine veram falsamque ecstasin facile dispiciamus.

mus. In Pauli mente apparent nova, cogitationibus suis summorumque apostolorum plane contraria, per se salubria, ad universam orbis felicitatem, ambitione, avaritia foedaque voluptate exfulante. Vulgaris opinio florebat, quam Nazaræi aliquantisper retinebant, nominibus jam Christo datis Epiphani. Hær. 29. gentes Christum profitentes ad legem cerimoniarum, circumcisionis, Sabbato aliisque obstrictas esse, adeo ut ipse Paulus ea de causa atro carbone notandus videretur. Nova igitur sententia erat, cerimoniis omnibus teletisque & lustrationibus Gentilium vacare posse, immo vacaturos esse, qui æternæ salutis heredes, & quidem per Θεάνθρωπον quendam, scribi ituderent. Hæc sunt illa ἀρήματα, ut paulo post demonstrabitur, divinam fuisse ecstasin, confirmantia.

§. 3. Visum istud voce ἀρπαξέσθαι designatur, ut fieri alias solet. Oracula Zoroastris v. 24. Ἐαυτὸν ὁ Πατὴρ ἤρπασεν, se ipse pater ab omnibus subduxit & segregem fecit, nam Plethone interprete id est ἑαυτὸν τῶν ἄλλων πάντων ἐξείρετον ἐποίησεν. Indicatur summa & singularis Dei essentia, scientiaque discreta a mortalium ruditate & imbecillitate. Pauli mens ἀρπαχθεῖσα, fuit itidem ad sublimiora, velut ex corporis compage subducta, in sublimi cœlo cognoscenda. Assentitur cum aliis G. Calixtus in Expositione litterali p. 65. in h. l. Contradicit Vir doctus, Berolinensis, in Epi-

stolicis Homiliis, ad 1. Thess. IV. 17. ad propriam vim verbi *ἀπαρτῶν* provocans, quod proprium de loco modum, non ecstasin notet. Verum locus ex oraculis adductus aliud suadet, & Pauli, an in corpore, an extra illud fuerit, incerti locutio obstat. *Ἀπαρτῶν* Phil. II. 6. videtur etiam prophetica ecstasin denotare, cujus compotes ad tempus divinis alloquiis frui videntur. Sed Christus nunquam talem vatem nudum se præstitit, nudo homine & propheta major, Deo patri quippe æqualis.

§. 4. Paulus sibi in Paradisum tertiumque cœlum evectus fuisse visus est. Erasmus alique loca illa distinguunt, forte ex patrum de inferno & paradiso multiplicibus dogmatis, de quibus Pearson in Expositione Symboli Apostolici & Anonymi Historia Symboli Apostolici ad descensum Christi infernalem agunt. Tertull. Lib. de Anima c. 55. *Habes etiam de Paradiso a nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.* Paradisum igitur plurimi Patrum, pro loco habuerunt, in quo animi defunctorum ad extremum diem remanerent, gaudia accumulanda spe læta expectantes. Si igitur cœlum tertium sedes foret completæ beatitudinis, differentia foret manifesta. Sed Christi animus indubie, animo *ἀντὶ* junctus, in beatissima sede fuit, quæ tamen *ἡδονῶν* vocatur, quare *ἡδονῶν* tertiumque cœlum  
ejus.

ejusdem habitaculi characteres esse putō. Pa-  
 radifus notat *vivarium* Gell. L. II. c. 20. *bor-*  
*tumque amœnissimis arboribus confitum* Xenoph.  
 Anab. Cyri I. p. 244. col. 1. p. 252. col. 2. &c.  
 Cic. in Catone Maj. p. 553. Ed. Genev. Per-  
 sicæ originis vox. Pfeiffer. in Dub. Vexatis ad  
 Cant. IV. 12. Homerus in defunctorum loco  
 memorat Odyss. v. αἰσφοδελὸν λειμῶνα, ἐλαίας  
 τηλεθώσας, *floridum pratum, oleas virescentes.*  
 Nec discrepat Plato in Gorgia, unde Virgi-  
 lius Aen. VI, v. 638. 39. *domicilia animarum*  
*beatarum vocat amœna vireta Fortunatorum ne-*  
*torum sedesque beatas.* Oracula Zoroastris v.  
 247. Ζήτησον ὡρᾶδεισον, *quære Paradisum, &*  
 v. 291. μέλων ἐυσεβίης ἱερὸν ὡρᾶδεισον, ἀνοί-  
 γειν, Ἐνθ' ἀρετῆς, σοφίας καὶ εὐνομίας συναίνονται.  
 Pletho interpretatur, τόπον ἀμφιφάοντα, ἀμ-  
 φιφᾷ τῆς ψυχῆς χώρον, *undequaque splendentem*  
*animæ locum.* Pfellus vero πάντα τὸν ὡρᾶ πα-  
 τέρα χορὸν τῶν θεῶν δυναμέων καὶ τὰ ἐμπύλαια  
 καὶ ἄλλη τῶν δημιουργικῶν πηγῶν *omnem choram di-*  
*vinarum virium, qui est circa Patrem, & igneas*  
*pulcritudines creatorum fontium.* Paradifus  
 symbolum coeli tertii. Primi mortales, cali-  
 darum præcipue regionum, non statim ab  
 orbe condito distinctos distinctorum elemen-  
 torum adhibuere characteres, sed hierogly-  
 phicos poëticosque adhibuere, qua de causa  
 ea, quæ visum fugiunt & æterna sunt, con-  
 venientibus involuerunt figuris. Ægyptio-  
 rum Æthiopumque historia id satis compro-  
 bat,

bat, sæculique Mythici in omnibus Gentibus, ipsis Turditanorum legibus Braminumque, occurrunt vestigia. Hinc in Platonem & sacras litteras de conditione animarum carne & ossibus separatarum, ἡ γὰρ ἐπὶ σάρκα καὶ ὅσθα ἔνευ ἔχουσιν *Odyss.* A. v. 217. eadem pervenerunt imagines. Infernas in regione frigida & caliginosa collocatur penes Cimmerios *Iliad.* Θ. v. 13. *Odyss.* A. v. 4-7. 57. in oraculis Zoroastris v. 24 & 45. Idem fit *Matth.* VIII. 12. XXII. 13. 2. *Pet.* II. 4. *Jud.* v. 6. Infernus delineatur instar carceris portis durissimis clavibusque muniti *Odyss.* l. c. v. 275. *Iliad.* Θ. v. 15. *Dionys. Halicarn.* L. II. p. 90. conf. *Joh. Marshamus* in *Can. Chron.* ad Sæc. XI. §. III. p. 274. sq. 282. Lamb. BOS in *Exercitt. Philol.* p. 285. 295. 293. Idem fit *Matth.* XVI. 18. *Ap.* I. 18. & *Alcor. Sur.* XV. v. 44. Malas animas ad sinistram locat Plato, rectasque ad dextram in *Gorgia* & *Phædone*, & ex eo *Virg.* VI. *Æneid.* v. 470. sq. Idem fit *Matth.* XXV. 31. Quid igitur mirum, si ἡλύσιον πεδῶν, Μακάρων νῆσοι, amœna vireta *Homeri Odyss.* Δ. v. 573. sq. *Platonis* in *Gorgia* p. 313. *Virgiliique* eadem hortorum, fluviorum arborumque amœnitas, cœli imago beatissimi, in novo Test. recurrit? conf. *Ap.* XXII. 1. 2. Prima hominum ætas, sæculum aureum Saturniumque, Adami recens voluptas, hortus Eden, Syriæ amœnissima ad Libanum terra, urbe Paradisi inclyta, simbolo huic vividissimo

mo originem dare poterat. Nec Judæicum  
 Muhammadanis ejus symboli expertes sunt.  
 Judæi identidem *וְעַד* *וְעַד* & vitam aeternam pro-  
 miscue adhibent. Abhoth c. V. n. 20. Alcor.  
 Sur. XV. v. 45. *في جناتٍ ولين*  
*in hortis & fontibus.* Nec Muhammedanos  
 terrestrem expectare Paradisum, ut vulgo  
 creditum est, demonstravit abunde Hadr.  
 Relandus. Judæorum sapientissimi eadem  
 facile ratione purgari possent, quorum Le-  
 viathan, Bar-Juchne, Ziph &c. ex descri-  
 ptionibus eorundem, loco symbolorum fuis-  
 se, haud ægre patescit. Principes equidem  
 Judaicorum magistrorum heic mirifice dissi-  
 dent, sed non vulgares sunt ii, qui hortum  
 spiritualem, cibum & potum spirituales in  
 regno Messiaë quanto magis in sempiterna vi-  
 ta, affore statuunt. Ipsum Talmud, R. Oba-  
 dias de Bartenora, R. Nachmanides, R. Jo-  
 seph Albo, R. Meir, R. Menasseh ben Israel  
 multique antiqui Hispaniaë Galliaëque docto-  
 res spirituale tantum convivium in horto Eden  
 affore docent. Vid. Theod. Dassovii Tr. de  
 Resurrectione Mortuorum ex mente Judæo-  
 rum c. IV. p. 82. sq.

§. 5. Paradisus hic vocatur cœlum tertium.  
 Quid si cum Cicerone quærerem an unum  
 cœlum esset, an innumerabilia? Plinio fu-  
 ror est, hæc scrutari extera. H. N. L. I. c. 1.  
 Sed Chaldæi & Platonici, forte ex Ægyptio-  
 rum

rum disciplina, terram inter & Deum tres  
 cœlos esse docuerunt; Ex Chaldaeorum do-  
 ctrina Stanlejus Phil. Or. L. I. Sect. 2. c. 2.  
 p. 188. ita: Proximum e Deo effluviū est ὑπερ-  
 κόσμιον φῶς, infinitum, idemque incorporeum ac  
 lucidum spatium intellectualium Naturarum beata  
 sedes. Supramundanum autem lumen illustrat  
**PRIMUM CORPOREUM MUNDUM; EM-  
 PYREUM** nempe, sive igneum cœlum, quod cum  
 proxime subjaceat incorporeæ luci, est omnium cor-  
 porum altissimum, splendidissimum ac rarissimum.  
 Empyreum cœlum diffunditur ad **ÆTHEREM** us-  
 que, quod est corpus inferius ignemque minus since-  
 rum continet: Sed igneum tamen esse densissimæ ejus  
 partes, sol ac stellæ, satis ostendunt. Ab hoc æthe-  
 re ignis transmittitur ad **HANC SUBLUNAREM,**  
 ac materialem mundum. Nam licet materia, qua  
 constat, non sit lux, sed tenebræ, quales sunt corporei  
 seu mali Dæmones, attamen id ζωογονιον πῦρ vivi-  
 ficus ignis, ut loquuntur oracula, eam agit atque lu-  
 mine omnes ejus partes illustrat, dum per omnia dif-  
 funditur atque ad centrum usque penetrat. Tres  
 cœlos materiales dari putarunt, empyreum,  
 æthereum & ærium conf. Sect. II. c. 12. p. 201.  
 primum ex infinito lumine supra mundum  
 collustratum, stellarum expers, mentibus  
 proprium: secundum esse fixarum, solis ac  
 planetarum, animis commune: tertium,  
 ἀδην vocatum, infra lunam ad terram usque,  
 dæmonum improborum & naturæ sedem.  
 His gemina docuit divinus Plato, cujus men-  
 tem

tē Apulejus nobis latine exponit Libro de  
*Habitudine doctrinarum & nativitate Platonis phi-*  
*losophi, præcipue ex editione Elmenhorstii*  
*Francof. 1621. 8. L. I. p. 7. ubi primo supre-*  
*num quendam circulum inenarrabilem, post igneum*  
*sive æthereum, cui solem & lunam ceterasque*  
*siderum stellas tribuit, & tandem aëreum, cu-*  
*jus qualitatem Plato dæmonem dixit, enarrat,*  
*hisque aquam terramque subjicit. Clarius*  
*vero de Deo Socratis sub initium: Plato omnem*  
*naturam rerum, quod ejus ad animalia præcipue*  
*pertineat trifariam divisit: censuitque esse Deos se-*  
*cundum SUMMUM, MEDIUM & INFIMUM.*  
*Fac intelligas non modo loci disclusionem, verum*  
*etiam dignitate -- Hinc de Diis supremis visi-*  
*bilibus & invisibilibus agit, tum ad æthereos*  
*transit genios p. 43. quos (Deos in sublimi ætheris*  
*vertice locatos, ab humana contagione procul discre-*  
*tos) Plato existimat natura incorporales, anima-*  
*les, neque sine ullo, neque exordio, sed prorsus ac*  
*retro æternas -- ingenio ad summam beatitudi-*  
*nem perfectæ, nullius boni extranei participatione,*  
*sed ex sese bonas & ad competentiam sibi prompta,*  
*facili, simplici, libero & absoluto: quorum parentem,*  
*qui omnium rerum dominator atque auctor est, solu-*  
*tum ab omnibus nexibus patiendi aliquid gerendive,*  
*nulla vice ad alicujus rei munia obstructum. Qui-*  
*bus uberius deductis p. 46. 47. dæmonas in aë-*  
*reis plagis terræ conterminis nec minus consiniis cæ-*  
*lo versantes describit. conf. Eph. II. 2. VI. 12.*  
*Nec cœlum illud Chaldæorum & Platonico-*  
*rum-*

rum a sacris litteris exfulat. In *cœlo aëreo* occurrunt dæmones, aquæ, nubes, ignis, imbres, nix, venti, aquilæ Gen. VII. 11. VIII. 8. Matth. VI. 20. Gen. XXI. 28. Dan. IV. 12. 2. Reg. I. 10. Prov. XXX. 19. Es. LV. 19. Dan. VIII. 8. In *æthereo* stellæ Gen. XXII. 17. 1. Reg. XXII. 17. 2. Reg. XVII. 16. In *supremo* domicilium Dei & Christi Dan. II. 28. Matth. VI. 1. Ps. II. 4. XI. 4. Ebr. IX. 24. &c. Deus vero in luce habitat inaccessa velut ἐν φωτὶ ὑπερῶσμιον 1. Tim. VI. 16. Nec defunt antiquissimorum Judæorum, ad quorum majores non nihil ex Chaldaica & Platonica Philosophia defluerat, luculenta in hanc rem testimonia. Unde facile patet, quid Paulus per ἀρπυγιδόν in tertium cœlum designet. Indicat sane puram & umbris carentem revelationem, utpote factam in loco clarissimo divinæque menti proximo, unde omnis vicissitudo, symbola propheticaque umbræ exfulant, claritate divina quæque penetrante. In cœlo enim aëreo varietas cœli & umbrarum alterna successio: in æthereo minor mutabilitas, major vero lux occurrit ex ratione systematis Chaldaici Platonique. Conf. Apul. de *Habitudine doctrinarum Platonis* L. I. p. 58. Quare mortales Deo superiora domicilia, perpetuo serena, & a quibus *natura variabilis atque inferioris aëris qualitas turbidior* exfulant, tribuuntur. Idem l. c. p. 72. 73. *Dei locum si quarimus, neque finitimus terra*

contagionibus, neque tamen medius in aëre turbido, verum in mundano fastigio, quem Græci *ἀεὲς* recte vocant; ut qui sit altitudinis finis & iidem ea ratione eum *Ὀλυμπον*, quem ab omni fuscitate ac perturbatione vident liberum. Neque enim caliginem nubium recipit vel pruinas vel nives sustinet: nec pulsatur ventis, nec imbribus ceditur. Hi tres cœli, alter altero clariores & perfectiores, Judæis symbola suppeditarunt delineandæ vaticiniorum diversitatis. Donum prophetiæ dividunt in illud, quod maxime symbolicum variumque & per quietem vel visum nocturnum, vel ἐν αἰνίγματι, בהירה innotescit, quorsum linteamen impuris variisque animalculis plenum, Petro oblatum, referri potest; in minus symbolicum, quod vocant per specular, א' עֶסֶפֶס, de quo dixi quædam in *Diff. de Specularibus Veterum*; & denique in clarissimum, quo quis quasi coram cum Deo colloquitur, ut videre est ex עיקר articulo VIII. Maimonidis & Es. VI. 1. sq. Zaneh Veraneh in שיר השירים f. קיב. col. 1. Jechiskiel hat הקב"ה (der hochgelobte Gott) gebracht in Himmel und hat ihm gewiesen die מרכבה (Wagen) das ist der כסא הכבוד (Thron der Herrlichkeit.) Clarissimum ejusmodi visum & Paulo contigit, Recte igitur Augustinus L. XII. Gen. c. 34. Tertium est cœlum, quod mente conspicitur ita secreta & remota, & omnino abrepta a sensibus carnis atque mundata, ut ea, quæ in cœlo sunt & ipsam Dei substantiam Christumque

Class. VI. Fasc. IV. Ss Deum,

Deum, per quem facta sunt omnia, in charitate Spiritus S. ineffabiliter valeat videre & audire.

§. 6. Videor forte plus iusto curiosus, ultra investigaturus, quid ipsa illa revelatio Paulina continuerit, siquidem in ἀόρητα heic incidimus & quæ homini non licet eloqui. Clemens Alexandrinus L. V. Stromatum ita: μαρτυρεῖ τοῖς εἰρημένοις ὁ Ἀπόστολος, οἶδα, λέγων ἄνθρωπον - τὸ ἀόρητον τῷ Θεῷ ἕτως αἰνισόμενος, ἔνόμω καὶ φόβῳ πνευματικῆς πνεύματος πνεύματος, δυνάμει δὲ ἁγίᾳ ἀφεικτόν εἶναι τὸ θεῖον μυστήριον. Testem iis, quæ dicta sunt, se præbet Apostolus, novi, inquit, hominem - ineffabile illud Dei ita per enigma velut indicans, non lege & timore prolationis cujusdam illas voces duas, ἔκ ἐξον, (non licitum) addens, sed quod sanctæ facultati ineffabile divinum sit mysterium. Cui calculum addit Beza ad præsentem Pauli locum. At quæso nonne heic miraculum in mente Pauli se exseruit? Quodvis vero miraculum summæ est necessitatis, ob deficientem inter homines ob humanas pravitates gratiam, ut G. G. Leibnitius & C. Wolfius mathematicè demonstrarunt. Fuit igitur vel ex parte Pauli tantum, vel ex parte cœtus Christiani, vel ex parte convertendorum ad Christum, vel ex parte omnium horum, vel quorundam, necessarium. Quod si primum tuearis, evulgationem eorum quæ revelata erant, opus non fuisse, contendes, nec posterius negarem, nisi prius non admitterem. Namque tueri il-

illud non licet, quia A. C. 43 vel 44, in quem hæc revelatio incidit, ut paulo post ostendetur, Paulus jam satis diu Apostolus fuit, tonitru vocati (קרינה) & jussis Ananiam factis ipsique vulgatis, confirmatus & fide robustissimus Act. IX. 22. 27. XIII. 52. Gal. I. 12. nec formidabat æstus & sævitiam Judæorum vel Gentilium, in ipsam quippe Arabiam vel solus, ut videtur, pergens, ut non exemplo Jonæ qui sibi a Ninevitis metuebat, per miraculum ad doctrinam coelestem, sibi pridem cognitam, latius spargendam inducendus esset. Quare revelatio & visum in usum Ecclesiæ accidit, & quod hinc est pronum, prædicandum fuit. Sed succurrat rationi huic alia forte magis adamantina. Inanis gloria videri potuisset, nosse quædam & interroganti nil patefacere posse. Apostolus, sese præstare, certe parem se esse summis apostolis, demonstraturus erat, idque ipsum ex singulari revelatione sibi facta evincit. Jure igitur si reliqui, quos impugnabat, Apostoli ex eo quæsvissent, quoniam revelationis gradu se antecederet, nullam ipse verò rem in promptu habuisset, cujus tanquam novæ, & inauditæ denuntiatione eos docere potuisset, prætexens, dici illam plane non posse, vel ridiculus adversariis apparuisset, vel eodem adducto argumento, eoque inverso, refelli potuisset, quippe idem de se iidem prædicare valebant, licet

falso. Fuit igitur illa Paulo olim facta revelatio apostolis ita cognita, ut denuo supervacua dictu esset. Et quomodo a pseudapostolis ob hoc visum tot dira passus esset vulnera, nisi eam ex nutu divino effectui dedisset, insigni ideo gloria dignus, qua sese efferre potuisset? Præterea præstat perspicua, distincta & historiis conveniens expositio nulli expositioni, quippe perfectior. Quo enim quodque & perfectius, eo plures sui continet gradus: Nihili vero, nullæque explicationis nulli sunt gradus, nec ulla ad nos redundans perfectio.

§. 7. Nec ἀπόρητα, & ea quæ homini non licitum eloqui, ex consuetudine Græcorum secreta nunquam eloquenda notant, haud secus ac μυστήριον in N. T. non ejusmodi arcanum significat, quale gentes prædicabant, ἀπόρητων Aristoteles epistola ad Alexandrum M. vocat, & Diod. Sic L. I. Bibl. Hist. p. 24. silentio summo tegendum. Beza, ad h. l. Quasi vero in religione Christiana sint Eleusinia quedam sacra ac non potius omnia evulgari jufferit Dominus & quidem iis præcipue, quos mundus pro indoctis & imperitis habet. Nihilo tamen secius heic ad Isis, Cybeles sive Cereris sacra mysteria allusionem fuisse factam, puto, sed non prorsus æquali & Eleusiniis constantanea ratione, quod aliis in locis itidem factum fuisse cum Jacobo Gothofredo Exerc. II. Sacra ad 1. Tim. III. 15. dudum alii notarunt. Evangelium  
sanc

sane dicitur *μυστήριον* Rom. XIV. 25. sed, ut  
 opponatur quodammodo Eleusiniis, *ὁμολογεύμε-  
 νως μέγα* 1. Tim. III. 15. quia gentibus occul-  
 tatum hucusque fuerat & ejus conditio, si  
 paucos exceperis prophetas, nemini cognita  
 fuerat, & id quidem ex justo Dei judicio  
 Rom. XIV. 25. 26. 1. Pet. I. 10. 11. 12. 1. Cor,  
 II. 7. 8. 9. 10. Eph. I. 4. 9. 10. Act. XVII. 30.  
 immo occæcatis Judæis tectum, & iis, qui pe-  
 reunt 2. Cor. III. 15. IV. 3. Mystæ, qui jam  
 ab externis criminibus purgati erant, penes  
 Gentes ad minora mysteria admittebantur,  
 si vero internis etiam vacarent, cum mystis  
 consistebant & initiati dicebantur; at epoptæ  
 plenam sacrorum tenebant docebantque no-  
 titiam, sed ita, ut proposita pœna capitali,  
 mystæ & epoptæ initiatis dogmata secretiora  
 non enuntiarent, sed eos abigerent immo,  
 quod majus est, ea qui profanis oculis inspe-  
 xerat, excæcarentur. Ausonius ep. 24. *Attu,  
 juratis velut alta silentia sacris Devotus teneas, per-  
 stas in lege tacendi.* Ovid. L. II. de arte amandi:  
*Quis Cereris ritus audet vulgare profanis, Magna-  
 que Threicia sacra reperta Samo?* Plura dabunt  
 J. Meursius de Eleusiniis, Joh. Eggelingius de  
 Mysteriis Cereris & Bacchi in Vasculo ex  
 uno Onyche, cum notis & emendationibus  
 Anonymi in Actis erud. Lips. 1683. p. 140. sq.  
 Chartarius de Imaginibus Deorum p. 154. 155.  
 Joach. Hildebrandi Rituale Baptismi Veteris p.  
 4. sq. Sam. Pitiscus in Lexico Antiqu. Roman.

Voce *Ceres*, Rosinus Antiqu. Rom. L. II. c. II. p. 195. sq. ed. Genev. Jac. Gothofredus l. c. &c. Exemplum illud Alcibiadis penes Nepotem & Justinum, & Neronis apud Suetonium rem satis illustrat. In sacris Isis simulacrum Harpocratis digito vel bacillo labia comprimendis de silentio mysteriis debito admonerat, ut patet ex Auctario adjecto Mensæ Isiacæ Laurentii Pignorii p. 91. 94. & Harpocrate Gisberti Cuperi. Idem Sphinges ante templa positæ denotabant. Plut. de Iside & Osiride p. 354. Ἀρήται igitur, ut μυσήρια, sunt res maximi momenti antehac inaudita & indicta. Homines ἀρρήτοι non sunt ii, qui ignoti penitus, de quibus nil unquam dictum vel dicendum est, sed incelebres, quibus tamen non semper alienum est, in posterum illustrari vel celebrari Hesiodo L. I. Q. & D. v. 3. 4.

§. 8. τὸ ἀνθρώπος heic in oppositione ad ἀγγέλος 1. Cor. XIII. 1. eorumque eloquentiam usurpari putat Georg. Raphaelius in Annot. philologicis in N. T. Xenoph. p. 250. Alii, ut Beza ἀνθρώπος, ut alibi, pro πῃ, aliquis, positum credunt. Ἐν χειρῶν idem ad verbum οἶδα retrahit. Sed frequentior & nativus vocum usus non deserendus est, nisi necessitate & scopo urgente. Ἀνθρώπος in famosiori significato notat hominem. Esto tamen ἀνθρώπων ἐν χειρῶν esse idem ac πῃ ἐν χειρῶν ὄντων, explicatio nostra nihilofecius stabit.

bit. Supervacuum vero erat, notitiæ suæ Paulum adungere ἐν χειρῶν, quia Paulus cetera omnia neque noverat per vires & conversationem Christi. Itane sese non noverat nisi ἐν χειρῶν, hoc est, singulari patefactione Christi, si forte ita interpretari velis? Quisque sibi certe sui actionumque singularium suarum præteritarum atque eventuum sibi incidentium naturaliter conscius est. Ut ut hæc se habeant, ἐν χειρῶν sine medio postponitur τῷ ἀνθρώπῳ, certiusque ac verius, ut in confesso est, propiori voci, quod commode & eleganter fieri potest, connectitur. Ἄνθρωπος scopo postulante viliores quendam notat, vid. Marc. XIV. 13. Joh. XIX. 5. 14. Lamprid. c. 23. Ἄνθρωπος & ἀνθρώπος ἐν χειρῶν sive ἀνθρώπος θεῶν differunt ut κλίσις & καινή κλίσις, ut initiati & non initiati, ut patet ex 1. Cor. II. 9. 10. 1. Tim. VI. 11. 2. Tim. III. 12. 2. Pet. I. 21. Ἄνθρωπος ita summi videtur in oppositione ad hominem per Christum Gal. I. 1. pro homine viliori, non renato, 1. Tim. VI. 16. ubi dicitur, quod nemo hominum Deum viderit vel visus sit.

§. 9. Porro verba, ἀπνα εἰκ ἐξον ἀνθρώπων λαλεῖν trifariam explicari queunt. Ἐξον conjungi potest cum voce ἀνθρώπων, itidem cum voce λαλεῖν. Λαλεῖν est enim tum dicentis alicui Matth. XII. 46. XXIII. 1. Marc. II. 2. IV. 33. &c. tum loquentis quædam non adjuncto casu tertio Matth. IX. 18. 33. &c. Si

posterius eligerem, sensus foret: *quæ mysteria novi testamenti dedecet nondum initiatis aperire.* Quale silentium proprie Cereri erat sacrum & exeunte sæculo secundo ex exemplo gentium in ecclesiam invehebatur, Justino Martyri, Irenæo, Tertulliano aliisque inusitatum & adversum, ut contra Emanuelem a Scheelstraten de Disciplina Arcani monuerunt Guil. Ern. Tenzelius in P. II. Diff. selectarum, Seb. Kortholt Diff. de Silentio sacro, Hildebrand l. c. p. 17. Joh. Clericus in H. E. Sæc. II. ad a. 101. p. 532. & ad a. 118. p. 574. quibus annumerari meretur ad Baronium prolixè Isaac. Casaubonus Exerc. XVI. 43. Nec disciplina hæc arcana ad dogmata pertinuit, sed sacramentorum occultationem, quin potius *μυστήριον* Evangelii gentibus denuntiandum erat. Prior sensus foret: *Non licet sive, non licebat non initiato, mysteria illa eloqui.* Qui sensus est commodissimus. Potest etiam tertio *ἐκ ἐξου ἀνθρώπων* explicari, non potest homo, ut curate docet Georg. Raphelius in Annotationibus philologicis in N. T. ex Xenophonte collectis & quam expositionem ille ipse amplectitur, ut sensus sit: *Non datum est hoc a Deo homini, qui utcunque sit in aliis rebus eloquens, in cœlestibus certe balbus, vel potius infans & mutus est.* Quæ interpretatio cum priori satis in re ipsa conspirat, quod enim non possumus, id nobis non licet. Facere huc videtur Plinii locus H. N. L. V. c. i. *Populorum ejus (Africae)*

*æ)* oppidorumque nomina vel maxime sunt ineffabilia, præterquam ipsorum linguis. Non quod alia natio nomina illa plane effari non posset, sed quod non sat exquisitè. Sic linguis sanctorum exquisitius mysteria Dei enarrantur, quam a non initiatis, quibus cœlestia videntur insana esse, ipsorumque cognitionem imbibere nequeunt curatam. Evangelii lux gentibus antea occultata, instar mysterii & ἀρρήτου describitur Luc. VIII. 10. Rom. XI. 25. XVI. 25. I. Cor. II. 7. Ep. I. 9. III. 3. 4. 9. VI. 19. Col. I. 26. 27. II. 2. IV. 3. I. Tim. III. 9. 16. Non licebat homini qualicumque, non initiato, hæc in lucem proferre. Reservata erat Paulo hæc gloria potissimum, quod ipse testatur Eph. III. 3. 9. & Lucas Act. XV. 1. 2. nec ullus tam acriter Naziræis, & circumcisionis fautoribus restitisse legitur. Conf. Gal. II. 12. 13. 14. Nec verbum λαλέειν ab hoc mysterio alienum est I. Cor. IV. 3. Id discriminis igitur erat inter mysteria gentium & christianorum, ut illa plane occultarentur non initiatis, hæc vero sat diu a peritis divinisque viris, deficiente revelatione & mandato divino, occultata, cum quadam tamen differentia I. Cor. III. 1. 2. enuntientur, ab imperitis ipsorum culpa non agnoscerentur nec patefierent.

*§. 10.* Quare sensus integer est: *Singulari me Deus dignatus est revelatione, quatuordecim abhinc annis, quippe quem naturali animi corporisque statu dimotum interno implevit afflatu, clarissima*

Et maxime sublimi revelatione me docens, primum  
 Apostolum et Christianum gentium ad Christum  
 citra ceremonias Judaicas conversionem, maximum  
 mysterium et ab orbe condito hucusque non vulga-  
 tum, sed ἀπόκρυφον, quod non licebat nudo homini,  
 sed initiato summoque apostolo eloqui. Adjuvat  
 expositionem nostram temporis ipsius ratio,  
 quam non frustra addidit Apostolus sed filum  
 veluti Ariadnæum, cujus ductu in originem  
 ejusque momenta investigare liceret. Si heic  
 ad accuratissimos Sandhagenii, Pearsonii,  
 Millii Clericique calculos provocare liceret,  
 voti nostri foremus damnati. At quia Ludo-  
 vicus Capellus, Jacobus Vfferius aliique ob-  
 stare videntur, res omnis extra dubitationis  
 aleam ipsa demonstratione ponenda est.  
 Quocirca primum in aprico est, exploratissimum,  
 Paulum hasce posteriores, Philippis  
 versantem, Corinthum perferendas dedisse  
 litteras, non quod subscriptio id comprobet,  
 eam enim aliquando fallacem esse constat,  
 sed ex testimoniis 2. Cor. II. 13. VIII. 1. IX.  
 1. In Macedoniam venerat Epheso 2. Cor. I.  
 8. Act. XIX. 23. sq. collectam pro egenis  
 Hierosolymitanis ad Christum deductis, pro-  
 xime Hierosolyma aditurus, exigens 2. Cor.  
 VIII. IX. Act. XX 16. 1. Cor. XVI. 3. ita  
 enim promiserat Gal: II, 10. Convenit igitur  
 hoc subscriptionis momentum cum veritate  
 historica Act. XX. 6. Compertum igitur ha-  
 bemus finem, quem quatuordecim illi anni,  
 ante

ante quos revelatio illa exquisitissima Paulo contigit, spectant. Philippis porro navi discessit Paulus, diebus Paschæ festis finitis Act. XX. 6. proxima Pentecoste Hierosolymis se fore statuens v. 16. Hierosolymas ap- pulsus per Judæorum invidiosum tumultum in capitis discrimen versatur, a præside Romano Cæsaream mittendus, quod utique vol- vente, illo adhuc, anno accidisse historia ipsa lectorem attentum docet. Paulus dein- de per biennium a Felice detentus erat in custodia, cum succederet Festus Act. XXIV. 27. At anno Imp. Neronis VII. Coss. eodem Nerone IV. & Coss. Cornelio, Festus suc- cessit, Jos. L. II. c. 23. de Bell. Jud. Hic vero & 60. æræ Christianæ vulgaris, Conf. Cle- ric. Hist. Eccl. Sæc. I. p. 407. quinque annis a verò Christi anno natalitio differentis, quod post alios nuper distincte & enodate docuit Fautor & quondam Præceptor meus summe Reverendus Corn. Diët. KOCH in Diff. II. de *Anno Jesu Christi Natali*. Hos 2. annos si demseris residui erunt 58. quod est argu- mentum pro calculo Pearsoniano invictissi- mum. Porro in idem fere tempus mors vio- lenta Herodis Agrippæ & primus Pauli ad gentes discessus incidunt Act. XII. 23. XIII. 2. 46. 47. 48. adeo ut accuratissimi Chrono- logi utrumque factum eidem anno inserant. Agrippa vero obiit substituto in ejus locum Cuspio Fado, Coss. L. Quinctio Crispinoll. &

& M. Statilio Tauro, Claudii anno IV. Jos. L. XIX. c. ult. & XX. c. 1. l. c. qui est æræ vulgaris 44. quibus si addideris 14. emergunt 58. id quod Chronologice erat demonstrandum. Antequam vero Paulus cum socio Barnaba ad gentes discederet, singulari jussu & instinctu spiritus divini Act. XIII. 2. 4. Judæis tantum evangelium annuntiabatur Act. XI. 19. 20. Quare cum ob profelytum Cornelium miraculo opus esset Act. X. quanto magis ob gentes impuras?

§. II. Cornelium, si quis dubitet, *profelytum* Judaicum fuisse, & quidem *portæ*, eum solidiora docebunt Joan. Seldenus de *Jure Nat. & Gent. juxta disciplinam Ebræorum* L. II. c. 4. Joa. Lighthfoot in *Horis Ebraico-Talmudicis* ad Act. X. Jo. Clericus in *Hist. Eccl. Sæc. I. ad a. 36 p. 341.* Profelytus fœderis non fuit, ii enim Judæis pares habebantur, nec ullo miraculo ad fastidium Petro abstergendum opus fuisset. Sed nec ethnicus fuit. Nam sic Petro primum fuisset revelatio oblata de ducendis ad Christum gentibus, quod tamen est falsum, nam ea Paulo contigit Eph. III. 1. 3. 8. nec fuisset *σεβόμενος Θεόν* dictus Act. X. 2. nec tam carus fuisset Judæis v. 22. ethnici enim erant *αἱ θεοί* Eph. II. 12. & Judæis *invisi*. Objici quidem potest, eum dici *αἰ κείνου* v. 28. Act. X. eosque qui cum eo baptizantur, *εἰς Θεοῦ* v. 45. Sed eum ex alia gente ortum fuisse, nec negatur, nec obstat. Vox *εἰς Θεοῦ* vero

vero late patet, voci <sup>ἴσ</sup> sæpe æqualis & ipsos Judæos notans. Heic circumcisi Judæi gentibus opponuntur v. 45. quare profelytus portæ, qui circumcिसus non erat, ad εἶθνη referendus erat, cui Judæi integri non multum honoris deferre solebant. Præterea Petro concreditum erat evangelium ad circumcisos Gal. II. 7. Paulo ad non circumcisos v. 8. 7. 1. 16. Nec obstat Act. XV. 7. ubi διὰ τῆς σωματικῆς μὲς in dubie est *consilio, dicto, nutu meo*, quemadmodum os Dei, *effatum Dei*. Quibus omnibus consensus Clerici de *ineffabilibus hisce*, & forte aliorum, subjungi potest, in Hist. Eccl. N. T. Sæc. I. a. 43. p. 355.

§. 12. Ne vero sese aliis superciliose eximeret Paulus, quasi revelationis potissimæ particeps factus Petroque hoc ipso superior, permisit Deus ut ei σκόλοψ τῆς σαρκὸς præsto esset, in eo consistens, ut legatus Satanae infestis manibus ejus ora percuteret. Ex Artemidori c. 33. Lamb. Bos Observ. Crit. c. 24. p. 104. egregie docet, *grave aliquod malum ab improbo viro quopiam Paulo illatum* intelligi, sive potius, improbum aliquem hominem, gravissimum Pauli adversarium, qui ipsi & doctrinæ ejus vehementer resistebat, maximam creabat molestiam, animum urebat & pungebat, haud aliter ac σκόλοψ & aculeus carni facere solet, atque adeo ipsum impediebat, retinebat & reprimebat, instar σκόλοπος, qui retinendi vim habet, ne efferret se magni-  
tu-

tudine revelationum. Artemidorus enim: Ἀκανθαὶ καὶ σκόλοπες, ὀδύνας σημαίνουσι διὰ τὸ ὄξει, καὶ ἐμποδισμὸς διὰ τὸ καθεκτικὸν καὶ φροντίδας ἢ ἀδικίας ἀπὸ ἀνθρώπων πονηρῶν. Spinae & aculei dolores significant propter acumen ipsorum & pediculas sive impedimenta ob vim eorum adhaerendi ac retinendi, item curas & injurias ab hominibus malis. Improbum vero illum hominem Paulus vocat legatum Satanae. Beza mavult legatum Satanam, sed hoc inusitatum est in sacris litteris. Conf. Matth. XXV. 41. 2. Cor. XI. 14. 15. Respicit ad 1. Reg. XXII. 19 - 27. ubi vero Prophetæ pugni ingeruntur, ut jam monuit Jean d'Espagne. Consentiant Ambrosius & Erasmus ad h. l. Dolores capitis, morbum comitiale, & nescio quid & porro, finxere alii. Advenerant Corinthum Judæi conversi, Petri & Apolli non satis periti imprudentes discipuli, qui insignem eloquentiam, sapientiam & γνῶσιν, donaque Apostolica jactabant, Paulum vero minus disertum, œconomiae novi fœderis ignarum, minus gravem, nec personæ vultusque auctoritate pollentem, callidum Corinthiorum per gratuitam muneris sui administrationem aucupem esse perhibebant. Quibus Paulus suam omnium maximam revelationem de œconomia nova ecclesiae novi fœderis opponit, quippe quæ tam clare & distincte nemini apostolorum contigerat.

Jo. Godofredi LAKE-  
MACHERI,

Ostorovio - Halberstadenfis,

Disquisitio Philologica,  
de *Palo carni Paulo dato* ad illu-  
strandum locum 2. COR.

XII. 7. (a)

ARGUMENTUM.

Nexus hujus versus cum superioribus §. 1. Alludi-  
tur ad ritum flagellationis, ubi *flagellandi* palo alli-  
gabantur §. 2, 3. Ille dicebatur מַדְּוּי, sed & dici  
potuit Σηλοψ. מַדְּוּי §. 4. Angelus Satanae.  
Angelus pro omni legato fumitur. Hic pro mini-  
stro Synagogae §. 5. Satanas notat quemque ad-  
versarium §. 6. Κολαφίζειν pro flagellare §. 7.  
Totius sermonis Paulini sensus & Paraphrasis §. 8,  
9, 10, 11.

§. 1.

**Q**Uam ecclesiam Corinthi summa  
cum cura fundaverat Paulus, eam  
pseudapostolorum vanitate postea  
corrumpi non sine impenso dolore  
idem intellexit, Suo etiam exem-  
plo

plo comprobaverant Corinthii, quam sint  
 proni hominum animi ad veritatem deserenda-  
 dam, si quo furo orientur ea, quæ ab illa  
 longe sunt remota. Nulli pepercerant ope-  
 ræ homines ventosi, ut Corinthios a fidelissi-  
 mis Pauli præceptis averterent ac sua placita  
 illis obtruderent, quæ a vero tanto aberant  
 longius, quanto in auctoribus minus erat  
 cum perspicacitatis, tum integritatis, quam  
 in Paulo. Cum igitur in aberrationis pericu-  
 lum istum gregem adductum sentiret aposto-  
 lorum optimus, nihil eorum prætermisit,  
 quæ quidem ad eum in viam reducendum  
 pertinere videbantur. Quod ut perficeret,  
 posteriorem Corinthum misit epistolam, qua  
 omni studio id egit, ut, quæ falsa dogmata  
 eorum animis instillaverant apostolici nomi-  
 nis usurpatores, ea refelleret. Et cum ge-  
 neris illi, qua fulgerent, dignitatem & in rem  
 evangelicam merita, quo facilius impone-  
 rent imprudentibus, valdopere iactassent,  
 ostendit Paulus, se, siquidem ex istis rebus,  
 in quibus gloriam illi quærent, gloria sit ca-  
 ptanda, non minorem, si non majorem, glo-  
 riandi haberet causam. Multa præterea &  
 dura evangelii causa se perpeffum confirmat,  
 indultas quoque sibi fuisse revelationes plane  
 singulares, quibus fieri posset, ut superbiret  
 animus, nisi essent, quæ, quo minus id acci-  
 deret, impedirent. Τῆ ὑπερβολῆ, inquit, τῶν  
 ἀποκαλύψεων, ἵνα μὴ ὑπερχιρωμαι, εἰ δέθη μοι σκό-  
 λοψι

λοφ τῆ σαρκί, ἄγγελος Σαταν, ἵνα με κολαφίζῃ  
 ἵνα μὴ ὑπεερίρωμαι. *Ut revelationum magnitudi-  
 ne elatus ne fiam, datus est mihi palus carni, ange-  
 lus Satanae, ut colaphis me cadat, ne extollar.*  
 Quibus verbis ad poenae aliquod genus allude-  
 re opinamur apostolum, quod notissimum  
 erat inter Judæos, & quod ipse, licet inno-  
 centissimus, non raro fuerat perpeffus.

§. 2. Nempe, siquid delictum esset ab ali-  
 quo, quod mortem quidem non merebatur,  
 animadversione tamen graviori dignum cen-  
 sebatur, flagris eum cædi moris erat. Quod  
 ut rite fieret, manus rei columnæ, (b) seu palo  
 terræ infixæ, alligabantur utrinque, ita ut  
 carnem seu corpus incurvum attingeret pa-  
 lus, & huic quasi affixus videretur, dum me-  
 dio corpore inclinatus in palum incumberet  
 flagellandus. Didicisse videntur Judæi hunc  
 morem a Romanis, (c) apud quos ad palum alli-  
 gari solebant supplicio traditi, cum ante sup-  
 plicium ipsum, ut Horatius loquitur, *loris  
 urendi* essent. Vid. Cicer. in Verrem Or. V.  
 c. 5. Constitutus post reum erat in lapide  
 elevatori *חזן הכנסת* minister synagoga, *שליח*  
*שצבור* vel *בית דין שליח* angelus seu legatus  
 ecclesie vel & legatus judicum dictus, qui plagas  
 tredecim infligeret reo, flagro tribus loris di-  
 stincto, ut plagæ singulæ simul sumtæ, essent  
 triginta novem. Conf. Tr. Mischnicus *מכות*  
 quem nuper H. von der Hardt/ Helmæstadii  
 Class. VI. Fasc. IV. Tc la-

latina versione ornatum publici juris fecit & Praef. Buxtorfii ad *Abbreviaturas Rabbinicas*.

§. 3. Plenius hæc intelligentur ex Mischnæ verbis in מכות 5, tract. de plagis c. III. ff. 12. 13. & 14. quibus poenæ apparatus omnis luculenter describitur: כיצר מלקין אותו כופת שתי ידיו על העמוד הילך והילך וחזן הכנסת אוחז בכנריו אם נקרעו נקרעו ואם נפרמו נפרמו עד שהוא מנלה את לבו והאבן נתונה מאחרי חזן הכנסת עומד עליו רצועה של ענל בידו כפולה אחד לשנים ושנים לארבעה ושתי רצועות עולות ויורדות בה ידה טפה ורחנה טפה וראשו מגוע על פי כריסו ומכה אותו שלישי מלפניו ושתי ידות מלאחריו ואינו מכה אותו לא עומד ולא יושב אלא מומה שנאמר והפילו השופר והמכה מכה בידו אחת בכל כחו והקורא קורא אם לא תשמור לעשות ונו והפלאת את מכותך ואת מכות ונו' וחזר לתחילת המקרא ושמרתם את דברי הברית הזאת ונו' וחותר הוא רחום יכפר עון ונו' וחותר ונו' לחלית המקרא: *Quomodo flagellant illum? Al- ligat aliquis duas manus ejus columnæ (Palo in ter- ram defixo) ab utroque latere: quo fact. minister synagoge (ANGELVS ecclesiæ vel judicum) prebendit ejus vestes, nihil moratus, sive rumpantur illæ sive dissolvantur, donec pectus ejus denuda- verit. Porro illum lapis positus, in quo minister sy- na-*

*naogoe constitit, habens in manu sua lorum vituli-*  
*nun duplicatum, cujus plica una in duas abit, due*  
*in quatuor. Duo autem lora ascendunt in eo (laxa-*  
*ri possunt & contrahi) Manubrium palmi longi-*  
*tudinem habet, ipsum quoque lorum latum est pal-*  
*lum, tam vero longum, ut extremitas ejus ad um-*  
*bilicum pertingat. Tertiam plagarum partem antror-*  
*sum duas vero retrorsum ei infligit. Neque vero*  
*erectum flagellat aut sedentem, sed inclinatum, se-*  
*cundum illud, quod Deut. XXV. 2. precipitur:*  
**ET PROSTERNET EVM JVDIX.** *Ce-*  
*dens una manu cedit, quantis potest viribus. In-*  
*terim præco hæc verba recitat Deut. XXVIII 58.*  
*59. SI NON CVRAVERIT FACERE, cet.*  
**MIRABILES FACIET DEUS PLAGAS**  
**TUAS** *cet. quam pericopam idem repetit. Por-*  
*ro: ET OBSERVABIS VERBA FOELE-*  
**RIS HVJVS** *Deuter. XXIX. 9. Claudit tan-*  
*dem verbis Ps. LXXVIII. 38. ILLE VERO*  
**MISERICORS EXPIABIT PECCATVM;**  
*quæ itidem repetit. Quibus plane consentanea*  
*tunt, quæ Maimonides habet in Sanhedrin*  
*c. XVI. nisi quod explicatius ille nonnulla*  
*dicat; v. 5. nudum oportere cædi, nec ve-*  
*stimentis tectum quia Deut. XXV. 2. præci-*  
*piatur: Cædet ILLVM adeoque non vesti-*  
*mentum ejus. Lora quoque ascendisse & de-*  
*scendisse Mischna dicit, ex corio esse asinino.*  
*A flagrifero requiri omnino, ut intelligens il-*  
*le sit, non item ut robore magnopere pol-*  
*leat.*

§. 4. His ita explicatis, penitus nunc inspicere licebit verba Pauli superius proposita. Vix aptiori figura uti poterat apostolus, pro calamitatibus & cruciatibus, quos ipse pateretur, vivide effigiandis, quam si eos sub idea pœnæ modo memoratæ repræsentaret, maxime cum ipsi ejusdem pœnæ acerbitas sentienda fuisset quinquies 2. Cor. XI. 24. *Sibi datum* affirmat PALVM *carni*, non in carne aut *carni infixum*, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῆ σαρκί, vinculo significaturus non leviori se teneri & impediri ac illum qui flagrorum ictibus lacerandus adstringatur palo, nec mitius secum agi, quam cum tali homine. σκόλοψ quidem, ut Lexica docent, (d) palum notat præacutum, qualis adhiberi solet in munitionibus & ubi corpus alicujus scelerati ligno est trajiciendum: quod excrucians supplicii genus hodie in Ægypto non infrequens. Vide Thevenotii Itinerar. P. I. L. II. c. 79. Vnde existimare forte quis posset, non quadrare hoc ad lignum istud, (e) cui flagellandi manus alligabantur, quippe quod, *columna* appellatum a Talmudicis, superficiem habere debuerit planum, ut corpus incumbens lethali vulnere non læderet. Verum, quamvis speciem hæc habeant, cogitandum tamen, in ejusmodi allusionibus non accuratam semper haberi vocabulorum rationem, sed voces nonnunquam adhiberi, quarum specialior & restrictior est significatus, quam quidem res, ad quam re-

spi-

spicitur, requirit. Porro עמך *columnam* vocant Hebræi lignum quodvis aliqualis crassitiei, e terra per modicam altitudinem prominens; sive cylindri formam illud habeat sive in conum inferne desinat. Denique σκολοπη dici etiam posse lignum, cujus pars inferior acuta sit, qualem fuisse columnam, ad quam fontium manus vinciebantur, non obscure innuunt R. Salomo Isaacides & R. Obadiah de Bartenora, in Commentariis suis ad Mischnæ locum supra allegatum, quando עמך exponunt: עץ אחד געוץ בקרקע *lignam terra infixum*, ubi vox געוץ attentionem meretur, utpote quæ de rebus ab imo acutis maxime usurpatur. Vide paraphrasin Chaldaicam ad Jud. IV. 21. 1. Sam. XXVI. 7. Unde געוץ foramen est supra latum, infra angustum. Quo observato עץ געוץ בקרקע *lignam erit inferne acuminatum in terram defixum*, quod *palum* seu *vallum* appellare solent Latini, σκόλοπη Græci. Palum istum tantæ altitudinis fuisse observat jam laudatus R. Obadiah de Bartenora, ut commode inniti posset illi homo. R. Jomtobh in תוספות s. additionibus suis, ex sententia R. Juda bar Nachman, ad duos circiter cubitos, vel cubitum saltem unum cum dimidio, truncum assurrexisse tradit, ad quem homo alligatus positum retulerit ejus על בריה דלר דלר ותלה ידיו למטה *qui juncto corpore portæ alicujus repagulo seu vecti transverso, manibus, ex averfa repaguli*

parte demissis, terram quasi attingere conatur. Porro dum *carni suæ palum datum* memorat Paulus, idem hoc est ac si *corpori dixisset*. Denique *idē non infixus est* significat, sed *datus, junctus est* palus corpori vel corpus junctum palo, ut premat corpus palum & ab hoc prematur. Qualem sui aspectum præbebant flagellandi, quorum corpus stipiti, cui incumbabant, ita arcte erat junctum, ut nihil relinqueretur spatii. Tali feremodo palo se quasi alligatum profitetur Paulus, quod, quamvis durum, valde tamen salutare sibi sit, cum superbiam reprimat ac efficiat, (f) ut *incurvatus* veluti sit & *inclinatus*, instar ejus, quem viacula, quibus manus in palo non admodum alto adstringantur, caput erigere, aut recto corpore consistere non sinant.

§. 5. Quæ nunc addit apostolus paulo quidem sunt explicatiora, involucro tamen omni non carent. *Angelus, inquit, Satanae, ut colaphis me cedat*, quæ verba phrasin quidem præcedentem magis illustrent, non tamen idem, prorsus ac illa significant. Ellipsin statuimus particulae *ut*, quæ infinitis in locis omittitur, ex scopo & contextu facile supplenda; quod exemplis demonstrari posset plurimis, nisi dubium ea de re nullum esse crederemus iis, qui sacri codicis lectioni sunt assueti. Quod si igitur hanc admiseris orationis structuram, facile apparebit, formula hac  
 poste.

posteriori: καὶ ἄγγελος cet. rem indicari ab illa, quam per σκόλοπα, significaverat apostolus diversam. Ut autem intelligamus, quorsum appellatione istac ἄγγελος σατιν collineaverit, observandum primum erit, *angeli* vocem ita late solere sumi, ut quemvis designet nuncium, legatum vel ministrum, sive genius ille sit bonus aut malus, sive homo. Sic Johanni baptistæ appropinquantis regni Christi præconi hujusque præcursori angeli nomen tribuitur Marc. I. 2. conf. Luc. VII. 24. Ap. I. 29. II. 1. 8. cet. quorum quidem appellatio, ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας originem trahit ex Hebr. צבוי ליהו quomodo eum vocari jam olim Judæi sueverant, quo, tanquam legato aliquo & sacrorum administro utebatur illorum synagoga seu ecclesia, maxime ut inter precandum toti cœtui voce sua ille præiret. V. Campegi. Vitringa *anacrisin Apocalyps.* p. 25. & *synagogam veterem* P. II. L. III. c. 2. & 3. Similiter in his Pauli verbis respectus est non tam ad spiritum, quam ad hominem aliquem. Ecquis autem ille? Sponte se hic nobis offert מוסקן יסן *minister synagoga*, cujus erat cædere in fontem. (g)

§. 6. SATAN notat quidem passim inimicum & nocivum humano generi spiritum, sed adversarium tamen inter homines quoque. conf. I. Reg. XI: 14. I. Sam. XXIX: 4. Matth. GVI: 23. Satanas hic hostis adversariusque erit Pauli; *angelus autem Satane* hostis illius

minister ac servus. Si spiritum hic malis intelligere, litem non movebimus, cum vel sic orationis sensus exurgat satis commodus. Conf. Ap. II. 9. III. 9.

§. 7. Verbo tandem *κολαφίζειν* (h) Paulus ad flagellationem ipsam respicit. Quamvis enim ad eam poenam exprimendam verbum potius *μαστιγώω*, quam *κολαφίζω* adhibendum fuisse videatur, tamen hic iterum observandum venit, quod ad *σκόλοπι* jam monuimus; videlicet in metaphoris & alludentibus vocabulorum accuratorem exactam non ubivis servari: uti ipsum *μαστιγώω* Hebr. XII: 6. *plagas* notat *infligere* quovis modo. Ut taceam studio videri usum videri apostolum verbo *κολαφίζω*, ut afflictiones se experiri indicaret cum *ἕβρεσι*, *ignominis* & *indignitatibus* variis, quarum v. 10. meminit conjunctas. Nam flagris caedi non tam ignominiosum erat apud Judæos, quam colaphos pati, quod servile habebatur & probrosum. Quid? quod idem apostolus I. Cor. IV. 11. *κολαφίζεσθαι* se dicit, significatu generaliori.

§. 8. Itaque in verbis hisce Pauli ad universum flagrorum supplicium apta latet allusio, pro qua ostendenda hæc dicta sunt hactenus. Illud nunc superest, ut, quæ mala sermone isto figurato significare voluerit Paulus, exponamus. Hæc quidem unico nomine *ἀδυναμία* *infirmitatis*, comprehendit v. 9. quod ipse statim explicat v. 10. per *ἕβρεσι, ἀνάγκη*

ⲛⲁⲥ, ⲉⲓⲱⲓⲡⲉⲥ, ⲥⲉⲛⲟⲭⲱⲉⲓⲁⲥ, *ignominias, necessitates, persecutiones, angustias.* Agnoscit Paulus humanæ naturæ imbecillitatem, quæ efferi facile possit ex istis prærogativis, quibus pseudapostolorum dignitates superavit, nisi obstacula inveniret grandia ligatasque haberet quasi manus, nec posset evangelium ex voto & tanto, quanto quidem vellet, cum successu late spargere.

§. 9. Judæi ipsi per suos ipsosque gentiles odium apostolis conflabant, non contenti, iis in urbibus, quas ipsi incolerent, insectari Paulum & varias molestias eidem exhibere, calamitates afferre, ad loca etiam alia, ubi Paulum, versari intellexerant, ablegabant ex suis, qui turbam in illum concitarent & in ejus perniciem omnia converterent. Act. XIV. 19. Nuperum erat, quod ab Alexandro Judæo Ephesi, unde in Macedoniam venerat apostolus, fuerat passus, quo homine tanquam propugnatore & antepilano suo, contra Paulum utebatur synagoga Ephesina. Vid. 2. Tim. IV. 14. 15. Act. XIX. 33. 34. Durissima judicabatur flagrorum poena, adeo ut in reis infirmioribus mortis etiam crederetur effectrix, experientia non refragante. Aequè duras & acerbis illas esse afflictiones innuit Paulus, quas a Judæis, & iis, qui illorum instinctu vel jussu se infestarent, quovis tempore experiatur. Omnia vero ista salubri

fine sibi contingere iterum confitetur, ne idem sibi accidat, quod usuvenire solet illis, qui in exoptata rerum prosperitate sunt confituti, ut Spiritus sumant & efferantur animo. Se quidem tantorum cruciatuum & malorum pertæsum ter, h. e. sæpius, orasse dominum, ut amoveretur palus & abscederet Satanae angelus, ut desinerent tandem Judæi veritati obstistere & hostiliter secum agere; responsum vero tulisse hoc: *Sufficit tibi gratia mea, quam cumulatam expertus es; virtus enim mea infirmitate, afflictionibus, perficitur, his non obstantibus, cœpta tua virtute divina prosperari & secundari senties. Vna infirmitatis voce, quod supra jam notavimus, idem hic dicit, quod toto v. 7. sub aliquo symbolo dixerat,*

§. 11. Quare figuratæ, qua Paulus v. 7. utitur, orationis sensus integer erit hicce: Me forsan fastus aliquis ex prærogativis meis invaderet, si ex voto meo semper res succederent, ac retinacula abessent omnia, nec diræ obstarent calamitates & vexationes, quibus me premunt Judæi, hostes veritatis jurati, quorum in exstirpando christianismo studium est indefessum. Tantæ autem adversitates, cum quibus luctandum mihi est, facile efficiunt, ut spiritus, qui subnasci mihi possent, omnes suffocentur ac reprimantur.

§. 12. Non igitur opus esse videtur, cum

JOH. CLERICO, docto ceterum interprete, ad singularis cujusdam cacodæmonis confugere vexationes, qui Paulum ubivis fit comitatus.



IV.

THEODORI HASAEI

ad praecedentem dissertationem adnotatiunculae.

ARGUMENTUM.

Scriptores, qui hunc locum tractarunt, adducuntur. Flagellandi alligabantur columnae apud Judaeos. Ridiculus eorum flagellandi ritus e Pfefferkornio adducitur. An & apud Graecos? Κολωψ pro quovis ligno erecto sumitur. Etiam pro *cruce*. Τυπωνον vel τυπωανον notat palum, cui alligabantur mastigiae. Τυπωανιζεσθαι. Locis 2. Macc. VI: 19, 20, 28, 30. Act. XXII: 25. Ebr. XI: 35. lux. Quid sibi velint verba, *ινα μη υπεραιωμαι, Κολαδιζειν: κολαπειν, קלפ*. Clava; Kolbe/Klopffen; *κωπιζειν*. Colaphizare est contundere, excavare, fustigare, pro omnis generis verberibus & poenis sumitur. De flagellatione Chrysostomus & Theophylactus expli-

plicarunt. Loca I. Cor. IV: II. I. Petr. II: 20. illustrantur. Objectioni occurritur. Quomodo Paulus flagellationem potuerit deprecari.

(2)

**Q**ui aliorum de hoc loco, interpretum cruce, opiniones cognoscere auct, eum ablegatum volo praeter interpretes ad H. *Wusii* Melet. Lugd. p. 45. *J. d'Espagne* in Schibb. c. 48. *D. Heinsii* Ex. in N. T. p. m. 413. *Borremansii* L. de poet. & proph. p. 84. sqq. *Tillemontii* mem. eccles. T. I. p. 555. sqq. *Lamb. Bos* Obl. Misc. p. 104. *Al. Mori* notas ad loca N. T. p. 373. *J. Croji* notas in N. T. c. 34. *G. Saldeni* Otia Theol. L. I. ex. 9. int. *J. C. Suiceri* Thes. eccl. in voce *καλαφίζειν* & *σκολωψ*. *J. Hoornbeckii* Misc. S. L. III. c. 9. *J. Cameronis* Myroth. p. m. Obl. spont. Berolin. T. II. p. 868. sq. *G. Wedelii* Ex. med. dec. VII. c. 5. *J. Marckii* Exerc. Bibl. ex. 42. Singularibus separatimque editis dissertationibus hunc locum illustrarunt *Seb. Kirchmaierus*, Witt. 1684. (quae & in Tomo II. Thes. diff. Arnstel. p. 596. recusa exstat) *Wilh. Zeschius*, Jenae 1681. 4. *Christ. Heinsius*, Witteb. 1697. 4. *Petrus Santvoort*, eccl. Medioburgensis Minister, Lugd. Bat. 1706. 4. *Gust. Georg. Zeltnerus*, Altdorfii. 1707. 4. & qui omnium prolixissime, atque erudite hunc locum tractavit *Georgius Vechnerus*, in libro, cui hictu-

tulus. Σκολωψ seu palus Pauli ad 2. Cor. XII: 7. ex allusione & vocis Chaldaicae ܟܠܟܟܐ, qua stimulus alias vocatur, significatione ostensus, cui subjecta est de Sinu Abrahae disquisitio. 1678. 8. Mihi omnium sententiarum, quas legi, illa Cl. Lakemacheri reliquis visa est palmam praeripuisse, quamobrem nonnulla, quae illi illuminandae, ac confirmandae inservire posse credo, adjiciam.

(b) Columna tali fere etiamnum utuntur Judaei in flagellationibus suis. Id disco ex libro memorabili Urielis a Costa, Judaei, exemplar vitae humanae dicto, quem edidit, suaeque de Verit. relig. Christ. collationi adjecit Phil. Limborchius. In eo p. 350. ita queritur. Peracta lectione descendi a suggestu, & accessit ad me sacratissimus Praeses, susurrans mihi in aurem, ut diverterem ad angulum quendam Synagogae. Contuli me ad angulum, & dixit mihi janitor, ut me nudarem. Nudavi corpus ad cincturam usque, linteum capiti subligavi, calceos deposui, & brachia erexi, manibus tenens quandam quasi COLUMNAM. Accessit janitor ille, & manus meas ad COLUMNAM illam fascia quadam colligavit. His ita peractis accessit praecentor, & accepto corio percussit latera mea triginta & novem percussionibus secundum traditionem cet. Festivus flagellationis genus Judaeis tribuit Johannes Pefferkorn, famosus ille ex Judaeo, saltem nomine Christianus, in libello, quem inscripsit de Judaica confessione sive sabbato afflictio-

tionis edito Coloniae 1508. in 4. Hic cum paucissimis sit visus, remque aliis non memoratam, quod scio, non narret solum, sed & figura lepida exhibeat, posteaquam de eorum expiatione per gallum mactatum in die magno paenitentiae egerat, exscribam ex eo sequentia. *Si quis autem se a peccatis non mundatum satis aut expiatum satis putaret, is cum vicinis vel proximis suis ingreditur synagogam, procumbit in genua, capite in terram prone demisso, subleuat, qui adstat, illi vestes ad nates usque a tergo, verberat eum cum corrigia seu cingulo, aut alio hujusmodi flagro aditus usque XXXIX. super clunibus tanquam si aliquod residuum, in eo homine peccatum est, ita abigatur, expellatur, & abeat per posteriorem corporis partem obscenam; tum totus mundus est, & ab omni peccatorum sorde purus. Simile aliquid de Philosopho Cynico narrat Lucianus in diat. de morte Peregrini T. II. p. 570. Quis hic non meminerit illius sapientissimi Regum dicti Prov. XXVI: 3. Scutica equo, Fraenum asino, & virga in tergo stultorum!*

(c) Vide loca, quae in hanc rem ex Artemidoro, Plauto, Eusebio adtulit J. Lipsius de cruce L. II. c. 4. Adde his Gellium L. X. c. 3. *PALUS in foro destitutus est. vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. Ubi notandum tamen est, non pronos columnae super impositos apud Romanos hoc supplicium passuros, sed erectos columnae alligatos, eum in morem, qui etiamnum viget. Christum quo.*

quoque, cum tergum verberantibus praeberet, columnae fuisse affixum unanimis fere Patrum fuit sententia, quod eique ejus passionum historiam commentariis suis illustrarunt, luculenter ostenderunt. Et quis nescit, eam etiamnum Romae in aede Praxedis Martyris ostendi? Quod si Jer. Drexelio fides illa columna talis fuit, qualem ex codice Maccoth Judaeis usitatam fuisse legimus. Adscribam ejus verba, quod ritus illius imaginem tibi quasi ob oculos ponat; Sic ille p. II. cap. III. *del. gen. humani. Romano ritu funibus adstringebatur ad BIPEDALEM COLUMNAM, quae ad viri stantis umbilicum duntaxat pertingebat, ut tampectus, quam tergum rei verberibus undique pateret. In brevioris hujus columnae summo ferreus annulus immixtus accipiebat funes, quibus flagellando corpus vinciebatur. Jam observatum id est in Martyrum suppliciis. Sic legitur in Martyrol. Adonis ad XVI. Kal. Jun. Cum vir beatus (loquitur autem de Torpete) immobilis permaneret, fecit eum Satellicus alapis caedi, & LIGATUM AD COLUMNAM tamdiu verberibus affici, quousque sanguis guttatim de corpore ipsius deflueret. Fortassis plura de hac re occurrent in Jo. Hilperti, & Jo. Jac. Seyppelii, Noribergensis, de Judaeorum flagellandi ritibus dissertationibus, quarum illius Helmaestadii, a. 1652. 4. hujus autem, non minus ac altera de Ritu flagellandi apud Romanos, Vitebergae Saxonum a. 1668.*

a, 1668. in 4. excusae sunt. Consulat illas, qui potest.

(d) *κωλωψ*, quae vox in N. T. est ἀπαξ λεγομένη, pro quovis ligno potest sumi; Non in testimonium vocabo Hesychium, apud quem legitur, *κωλωψ, ξυλον, ὀξιμον*, cum recte animadversum sit, ibi legendum, *ξυλον ὀξυ*. Commode tamen id fieri potest per Synecdochen, uti ita dicta saepe est crux, ita explicante, quem citavimus, Lexici scriptore. *Κωλοπες, Σταυροι*. Ubi etiam vides *σκολοπι* pro crucis ferali trabe sumi. Inde Luc. in dial. modo citato Christum *Ἰβάρη* vocat contumeliae gratia *τον ἐν παλαισῆν ἀνασκολοπιθεῖν τε & ἀνασκολοπισμένον*. Eo pariter sensu apud Celsum, Eusebium, Chrysostomum vocem illam usurpatam vide apud Morum l. c. & Suicerum in Thesauro T. II. p. 974. Imo quodvis lignum erectum notat haec vox, docente rursus Hesychio, qui *κωλοπες* non solum ὀξεα, sed & ὀρθαί & ὀρθέα vel ὀρθια ξυλα vertit. Quidni ergo & talem, de qua agimus, columnam significaret?

(e) Tale lignum, cui mastigiae incumbabant, apud Graecos quoque erat in usu, de quo, cum huic phrasi non exiguam lucem adspargat, verbum addam. Dicebatur illud *τυμπανον* a *τυπῶ*, unde *τυπη*, pl. *γα*, & *τυπανον*, *τύπτις*, quo quis vapulat, atque inserto, quod millies fit, *μ. τυμπανον*. Quid illud fuerit, de

eo inter se dissentiunt auctores. Unde fit, ut vix aliquid certi definire liceat. Mihi cum alia, tum & baculos, fustesque quibus percutiebantur verberones, praeterea autem talem palum, de quo hic agitur, notare videtur. Id docet Schol. Aristoph. ad Plat. v. 476. *τυμπανα, ξυλα, ἐφ' οἷς ἐτυμπανίζον, ἐχρώντο δε ταυτη τη πμωρια* Recte enim ita legitur ἐφ' οἷς, ut non opus sit cum Gatakero, Kustero, aliisque corrigere ἐν οἷς, ex Suida, qui cum Hesychio habet parili sensu; *τυμπανον, ξυλον, ἐν ᾧ τυμπανίζουσιν* & scholiaste Anthol. ad epigramma Lucilii: L. II. p. m. 189. *τυμπανον, ξυλον, ἐν ᾧ ἐτυπνοντο ἐν τοις δικασημοις.* Eo sensu quoque videtur intellexisse Pollux, qui inter suppliciorum instrumenta adducit non *τυμπανα*, sed *τυμπανον*. Atque id jam suboluit Henr. Stephano, Graecae literaturae thesauro, qui cum in thesauro suo, baculos *τυμπανα* explicasset, addit. *Nisi forte τυμπανον significet palum, ad quem alligati fustibus contundebantur & concidebantur fontes.* Magis ἀκριβως dixisset *palum, super quo verberandi, proni extendebantur.* Ita enim explicandum clare constat ex iis, quae in 2. Maccab. libri capite sexto leguntur. Ibi Eleasaris crudele supplicium, quod respicere videtur Paulus Ebr. XI: 35. describitur, non autem (1) fit mentio *τυμπανων*, bacillorum, sed *τυμπανε* in singulari vs. 19. & 28. Id (2) indicant phrases, quando de illo dicitur l. c. *ἀυθαιρετως ἐπι τῷ τυμπανον*

πρῶτον & εὐθεως ἘΠΙ τὸ τυμπανον ἦλθε. Ut  
 (3) & vs. 20. Προπτύσαι δε, cum incubasset pro-  
 nus scilicet, ad plagas suscipiendas, quarum  
 (4) quoque vs. 30. mentio fit. Jac. Tiri-  
 nus in h. l. ita describit tympanum; Erat tor-  
 menti genus, quo cruci vel PALO adstricti rei, in-  
 star tympani distendebantur, actum vel BACULIS  
 CONTUNDEBANTUR, VEL FLAGELLIS discin-  
 debantur, vel vivi excoriabantur: Ex hac autem  
 observatione putem illustrari debere ver-  
 bum (α) τυμπανιζεσθαι, quod legitur c. l. Ebr.  
 XI: 35. quod cum ab interpretibus dirum in  
 modum ἐτυμπανιζθη, mihi videtur saepe signi-  
 ficare, palo alligatum, incurvatumque fla-  
 gellari. Hesychius τυμπανιζεται, explicat re-  
 cte πλοσσεται, ἐκδερεται, ἰχθυως τυπεται. Apo-  
 stolum autem tali quoque affixum fuisse τυμ-  
 πανω haud obscure colliges ex Act. XXII: 25.  
 ubi illud πρῶτον αὐτον τοις ἰμασιν, ita ex-  
 plicat L. de Dieu, qui conferri in hunc locum  
 meretur, praepositio πρῶτον indicat eum sic fuisse ten-  
 sum, ut superioris corporis parte pronus columnae  
 incumberet. Tale autem τυμπανον fuisse pa-  
 lum, dicique potuisse σκολοπα, colliges ex  
 ci-

(α) Vide de hac voce praeter Interpretes ad Ebr. XI:  
 35. Hier. Magium de eculeo c. 8. & 9. & ejus com-  
 mentatorem, God. Jungermannum p. 273 - 294. H.  
 Grotium ad 2. Macc. VI. Et Spanhem. ad Arist. Pl.  
 vs. 476. & qui latissime de illa agit, Gatakerum in  
 advers. post. c. XLVI. atque ex eo Suicerum in The-  
 sauro,

citato simili epigr. in Ανθολ. Αξιοι εισι τυχειν  
 πωντες εν στυπαις, ubi stipitem intelligi, ad  
 quem alligabantur bestiarum, tota Epigram-  
 matis series docet. Sic conjunguntur ος εκ  
 τυμπαις, & οι ανεσκολοπισμενοι apud Luc. in  
 Cataplo T. I. p. m. 427. Equuleum  
 quoque α τυμπαιω plurimi existimant  
 non alium fuisse. Eum autem stipitem  
 acutum, i. e. σκολοπις fuisse omnes agno-  
 scunt.

(f) Sane qui consideraverit, quam infame,  
 atrox, crudele, atque omnium απρωτατων,  
 quantisque cum doloribus, & saepius ipsa mor-  
 te conjunctum supplicium flagellatio vel fusti-  
 gatio, fuerit, facile capiet, quae vis verbo-  
 rum Paulinorum sit, quando addit ινα μη υπε-  
 ραιρωμαι &, quomodo talis poena superbiam,  
 ex revelationis illius excellentia & magnitu-  
 dine excitatam, subigere ac contundere po-  
 tuerit.

(g) Certe per illum Angelum Satanae jam  
 suo tempore intellexit inter alios flagratores  
 Pauli Chrysostomus. Ita enim in hom  
 XXVI: ad 2. Cor. XI. Αγγελον καταν λεγει παν-  
 τας τας ανηκειμενας τω λεγω, τας εμβαλλοντας, ει  
 δεσμοτηριον, ΤΟΥΤΟ ΔΕΡΟΝΤΑΣ, τας απαγοντας  
 Per angelum Satanae intelligis omnes adversario  
 verbi, qui eum conjiciebant in carcerem qu  
**FLAGELLABANT, qui raptabant.**

Uu 2

(h) Vox

(h) Vox haec, quae neque in versione Alexandrinâ legitur, neque apud Atticos scriptores occurrit, ut plurimum quidem notat *κονδυλιζειν*, i. e. pugnis contundere, ut & vertit B. Lutherus in hoc loco, commode tamen pro quovis verberum genere sumitur, idque vi originis suae, nativaeque significationis. Est enim *ακολαπτω*, quod notat tundere; venit haec vox ab Ebraico *קלף*, unde *מסלף*, malleus, quo tunditur, quod convenit cum Latinorum *clava* & Germanorum *Kolb*; i.e. fustis. Quis autem non videt in poena flagellationis aut fustigationis contusioni esse locum. Latini sane saepissime adhibent vocem *tundere*, quando de verberibus loquuntur, & Germani, Belgaeque *Klopffen* / & *Kloppen*, quod ipsissimum est *קלף*. Præterea *κολαπτω* notat incidere, exculpere, excavare, unde *κολαπτηρ*, est instrumentum, quo lapicidae in incidendis saxis utuntur. Quam apprime autem in describenda flagellationis poena adhiberi ea vox possit, vel ex consideratione illius figuræ, quae in J. Braunii comment. ad Ebr. p. 806. cernitur, aut illorum verborum constabit, quibus utitur ecclesia Smyrnensis, in epistola, quae apud Euf. H. E. L. IV. c. 14. exstat, scil. *fuisse, qui viderent μασιξι μεχρι και των ενδοτατω φλεβων και αρτηρων καταξαινομενους, ως ηδη και τα εν μυχοις απορρητα τε σωματῶ σπλαγχνατε αυτων και μελη κατοπιενεσθαι, flagris ad intimas usque venas & arte-*

rias dilaceratas, sic ut jam viscera, aliaque occultiora membra intimis corporis recessibus abdita oculis omnium subjicerentur. Praeterea aliquando significat verberare aliquem bacillis. Ita Hesychius ἐπιτιθεῖν, vel ἐπιτοῦαι explicat quā vocem, cum oriatur à ραπίς, quam ἐπιβδον explicat idem Hesychius, proprie significare baculis aliquem verberare, sive fustigare, aut, ut rursus Hesychius habet, ῥαβδῶ πληξαι nemo ignorat. Et hoc sensu Paulus quoque dici potest, κολαφίζεσθαι. Apud Judaeos enim, verba sunt magni civis mei in notis ad Maccoth c. III. p. 123. est praeter flagellationem insuper aliud supplicium plagarum quod extra fines terrae Canaan ob contumaciam & violationem praeceptorum atque etiam ob violationem interdictorum, quae à scribis posita sunt, (horum autem vitiorum a Judaeis insimulatus est Paulus) irrogabatur. Haec proprie fustigatio est. Baculo enim verbera infligebantur. Certus plagarum numerus in hoc genere nusquam comparet. Nam is gravitati criminis attemperatus erat. Atque ex arbitrio iudicum id totum pendebat, poteratque ad necem quoque sortis procedi. Et quidni, ut hic, ita & in loco I. Cor. IV: II. hoc supplicii genus innuerit Apostolus, ubi conjungit γυμνητερομεν & κολαφίζομεθα, quia flagellandi nudabantur vestibus suis, quod & Judaeis solemne erat, ut ex citatis Maccoth & Urielis Aosta verbis apparet, & Paulo quoque contigit Act. XV. 22. Certe per Synecdochen κολαφίζεῖν pro va-

rii generis pœnis atque afflictionibus dolorosis ac probrosis dici potuit; Uti Suidas explicat. *εκολαφισαν, εβασανισαν*; Et sic sumitur commode 1. Petr. II: 20. ubi servi dicuntur *κολαφιζεσθαι*, qui non solum colaphis, sed & flagellis, aliisque injuriis afficiebantur. Ut patet ex loco S. necae, qui circa finem est libelli de morte Claudii, ubi haec conjunguntur. *Apparuit subito Caesar & petere illum in servitatem coegit, producit testes, qui illum viderent ab illo FLAGRIS, ferulis, COLAPHIS vapulantem*; Vides colaphos jungi flagris Notabilis in hanc rem locus est Cypriani, *Inventiva in Demetrianum, qui nobis mores illos, quibus etiamnum in Africa illorum locorum, in quibus tum temporis Carthaginensis episcopus vivebat, incolae erga servos suos utuntur, accurate repraesentat. Nisi arbitrio tuo tibi serviatur, imperiosus & nimius servitutis exactor flagellis verberas, fame, siti, nuditate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias, cet.* Ob illas rationes commode ut alias quascunque molestias, ita & flagellationem includit aurei oris Doctor Hom. CXXII. ad hunc locum. *Το κολαφίζειν τινες ἐπι κεφαλῆς ἐλάβον μόνον. Κολαφισμὸς δὲ λέγεται κακῶσις, τῷ πεινωσίσι κολαφισεν αὐτὸν ἔχθρον αὐτῆς, ἐτῷ πεινωσῆ. Colaphizare quidam tantum de capitis verberibus explicant. Colaphismus autem est unaquaque afflictio & injuria, Colaphizavit eum hostis ejus, i. e. afflixit. Et paulo post illud κολαφιζομεθα in loco 1. Cor.*

IV: 11. ita interpretatur ἀδικημεθα, κακῶχο-  
 μεθα, ΜΑΣΤΙΧΟΥΜΕΘΑ, δεινα παρομεν, & quae  
 sequuntur. Pariter Theophylactus in loco  
 I. Cor. IV, 11. generaliter, hanc vocem ex-  
 plicat de verberibus; κολαφιζομεθα, τειπει,  
 τυπιομεθα. Ex quibus omnibus patet exhi-  
 bitam illam κολοφισμῶν de flagellatione inter-  
 pretationem apteretineri posse. Neque ob-  
 stant verba v. 8. quibus illud supplicium ter  
 deprecatus fuisse legitur, cum ad talia pro  
 gloria Christi perpetienda alias paratissimus  
 esset Apostolus. Distinguendus enim probe  
 est, ἄνθρωπος in se spectatus, & ἄνθρωπος  
 ἐν χριστῷ, qua phrasi Christianum v. 2. designa-  
 verat. Id enim saepe fit ut quis quid faciat sub  
 diversa relatione ἐκων αἰδεσθῆναι γε θυμῷ, volens  
 nolente tamen animo. Cum enim ita com-  
 paratum sit, idque a natura omnibus ani-  
 mantibus inditum, ut profutura sibi exoptet,  
 doloresque & cruciatus abhorreat, fieri po-  
 tuit ut Apostolus fustigationem, tanta cum  
 ignominia, tantoque cum cruciatu copula-  
 tum poenae genus à se remotum cuperet, quod  
 tamen ut fidelis Domini sui servus pro eius cau-  
 sa ac gloria haud invitus erat subiturus. Si-  
 milem in modum ac Magister ejus illud di-  
 vinae irae poculum à se transire, εἰ δυνατόν,  
 ut homo precabatur, quod tamen a se ne-  
 que transire posse, neque transiturum ratione  
 decreti divini & pacis consilii, noverat, &

cui exhauriendo semet ipsum, ut Sponsor  
humani generis sponte suâ ob-  
tulerat.



V.

*Georgii Christophori*  
**KUSTERI,**

Lycei Tangermundensis Rectoris

de **SANCHVNIATHO-**  
**NE,** Philosopho Phœnicio

Exercitatio.

SUMMARIUM.

Sanchoniathonis historia involuta dubiis §. 1. De eo  
fragmentum PORPHYRII ab EVSEBIO conser-  
vatum adfertur. §. 2. Duplex eruditorum circa  
ipsum sententia, alii existisse eum prorsus negant,  
inter quos VRSINVS, §. 3. DODWELLVS,  
§. 4. BASNAGIVS, van DALEN. Ajunt BO-  
CHARTVS, HVETIVS, STILLINGFLEET. §. 5.  
Porphyrii causa hac in re agitur. §. 6. Fuisse  
SANCHVNIATHONEM ostenditur. §. 7. Agi-  
tur de nomine ejus, §. 8. ætate, §. 9. patria,  
§. 10. scriptis; vel fragmentis potius, §. 11. In  
quibus Philosophia ejus continetur, §. 12. de subsi-  
diis, ex quibus profecit, & quidem de **HIEROM.**

BALO. §. 13. de TAAVTO vel MERCVRIO,  
 §. 14. de monumentis templorum, §. 15. de Philo-  
 ne, qui SANCHVNIATHONEM transtulit, §. 16.  
 & imposturæ reus vix dici potest, §. 17. Conclu-  
 sio, §. 18.

§. 1.

**S**ANCHVNIATHON omnium, qui um-  
 quam Phœnicen fama vel scriptis illu-  
 strarunt, facile princeps est; nihilo  
 tamen minus multis adhuc ejusdem hi-  
 storia dubiis est involuta, cum in duas  
 præcipue circa hunc virum abeant partes, qui  
 commentationibus suis illustrare eum susce-  
 perunt, quorum alii supposititium, alii ve-  
 rum existimant. In priorem censum veniunt  
 VRSINVS, DODWELLVS, BASNAGIVS,  
 SIMONIVS, atque ANTONIVS van DA-  
 LEN. Posterius vero tueri studuerunt BO-  
 CHARTVS, BVRNETIVS, STILLING-  
 FLEET, HVETIVS, MARSHAMVS, alii-  
 que viri celeberrimi. Qui cum inter se con-  
 testati fuerint scriptis, atque suas cum erudito  
 orbe communicaverint sententias, non po-  
 tuerunt non ab his laudari, ab illis vero culpa-  
 ri. Horum summorum virorum certamini,  
 etsi me temere immiscere nollem, deterritus  
 ingenii tenuioris conscientia, cum tamen illo-  
 rum partes, qui SANCHVNIATHONEM,  
 quicumque is demum sit, existisse inter Phi-  
 losophos non negant, mihi videantur æquio-  
 res, a reliquis, maximis cetera, nec sua lau-

Uu s de

de defraudandis modeste dissentire licebit. Illud vero circumspicte agam, ut, quæ adversus ipsorum sententiam habeam, salva tantorum virorum existimatione proferam. disquisiturus: An argumenta, quibus contra SANCHVNIATHONEM, militarunt tanti roboris sint, ut non a ia, si non majoris, certe ejusdem ponderis adferri queant?

§. 2. Ansam ad suscipiendum hoc qualecumque institutum dedit locus ex Porphyrii adversus Christianos Libro IV, quem EVSEBIVS, (a) & JOS. SCALIGER (b) conservarunt: Ἰσραῖ δὲ τὰ πρὸς τὰ Ἰσραηλίων ἀληθεύσατα, ὅτι καὶ τοῖς τόποις καὶ τοῖς ὀνόμασι αὐτῶν τὰ συμφωνότατα, Καρχουιάδων ὁ Βηρυτιῶν, εἰληφώς τὰ ὑπομνήματα, καὶ τὰ ἱερομβαλά τῶν ἱερέων Θεῶν τῶν Ἰερώ, ὅς Αβιβαλά τῶ βασιλεῖ Βηρυτιῶν τὴν ἰσραηλίαν ἀναθεῖς, ὑπ' ἐκείνης, καὶ τῶν κατ' αὐτὸν ἐξετασῶν τῆς ἀληθείας παρεδέχθη. οἱ δὲ τῶν χρόνοι καὶ πρὸς τῶν τρωικῶν πίπτει καὶ σχεδὸν τοῖς Μωσέως πλησιάζουσιν, ὡς αἱ τῶν Φοινίκης βασιλείων, μῆναι ἀφδοχαί. Καρχουιάδωντε κατὰ τὴν Φοινίκαν διάλεκτον πόλιν ὑπομνημάτιον καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἀναγραφῶν συναγαγὼν καὶ συγγράψας, ἐπὶ Σεμιράμεως γέγονε τῶν Ασσυρίων βασιλίδων, ἢ πρὸς τῶν Ἰλιακῶν, ἢ κατ' αὐτὰς γὰρ τὰς χρόνας γενέσθαι ἀναγέγραπται τὰ δὲ Καρχουιάδων εἰς ἐπὶ αὐτὰ γλῶσσαν ἠερμήνευσε Φίλων ὁ βύβλι-

(a) Præpar. Evang. L. I. c. IX. p. 31. ed. Colon.

(b) in Fragmentis aliquot veterum Scriptorum Emendationi temporum additis p. 6.

βλ. VIGERIVS ita tranſtulit: *Rerum ad*  
*Judeos pertinentium Historiam Sanchuniatho Bery-*  
*tius summa fide conscripsit, quippe quæ cum eorum*  
*locis atque nominibus apprime consentiat, cum*  
*præcipue rerum illarum capita ab Hierombalo quo-*  
*dam sevi Dei sacerdote accepisset. Hoc illius opus*  
*Abibalo regi Berytiorum dedicatum non modo*  
*rex, sed etiam ii, quorum apud ipsum erat de scri-*  
*ptorum veritate cognoscere, omnes comprobarunt.*  
*Atque istorum quidem etas Trojanis temporibus*  
*antiquior proxime ad Mosen ipsum accedit, ut ex*  
*Phœnicia Regum serie quivis auferre potest. Hic*  
*igitur Sanchuniatho, qui Phœnicia lingua vete-*  
*rem Historiam partim ex singularium Urbium actis,*  
*partim ex templorum monumentis coagmentatam*  
*singulari veritatis studio præscripsit Semiramide,*  
*quam Iliacis temporibus vel antiquiorem vel equa-*  
*lem fuisse, memorant, apud Assyrios regnante,*  
*vixit. Ejusdem porro Sanchoniathonis opera*  
*Philo Byblius Græco sermone donavit. Quæ*  
*quidem ab EVSEBIO, quam a SCALIGE-*  
*RO, nobis conservata maluimus adscribere,*  
*quod ille perfectius, aliquod, si ita dicere li-*  
*cet, fragmentum exhibet, inque idem illud*  
*paullulum commentabimur, maxime in loca*  
*illa, quæ interpretibus negotium faceſſerunt.*

§. 3. De SANCHVNIATHONE, itaque  
 quod bene vertat, acturi ante omnia in illo-  
 rum sententiam inquiremus, qui, si ex eo-  
 rum consilio res ageretur, mallent nos super-  
 sedere hac opera, sive ut paucis dicamus fru-

stra.

stra nos laborare dicent, quippe quicquid de SANCHVNIATHONE dicitur, falsitatis arguunt. Non equidem nunc singula, quæ hac in re habent, dissentienti argumenta adducemus, quippe quæ infra suo loco subsequuntur. Jam sufficit, quæ generatim adversus SANCHVNIATHONEM proferuntur, excutere. Et quidem primo loco juvat audire JO. HENR. VRSINVM, qui in *Exercitationibus miscellaneis* (c) jam ante complures annos editis, quicquid de SANCHVNIATHONE dicitur, pro suppositio habuit, eo præsertim argumento ductus, quod Suidas nullam Historiæ Phœnicum ab ipso editæ mentionem injecerit, multasque præterea fabulas SANCHVNIATHON exhibuerit. Enim vero nisi majora sunt, quæ Præsulem Ratisponensium celeberrimum ad dissentiendum moverunt, sane infirma sunt. Quis quæso statim adseret librum non editum esse, cujus SVIDAS non meminit? Quis quæso librum sublestæ notæ dicet, cui fabulæ admixtæ sunt, præsertim in tam vetustis temporibus ubi per nebulam tantum quicquid de veritate noverant, cognoscere licebat? Sed majus adhuc ipsi argumentum ad manus est, quod, ut SANCHVNIATHONEM fictum dicat, suadet: erga PORPHYRIVM scilicet odium, quem vomitibus & strumis generis humani accenset, indignum, qui de fidei antiquitate ubi disquiritur,

(c) Norib. editis 1661. 8. p. 181. seqq.

testetur. Principe loco hoc argumentum  
 ceu Achilleum suum ponunt illi, qui adversus  
 SANCHUNIATHONEM se erigunt, quare  
 paullo diligentius illud illustrabimus.

§. 4. In commune hoc asylum se recipit  
 præter VRSINVM, DODWELLVS, (d)  
 qui fraudis Porphyrium reum facit contortis  
 in hanc rem argumentis variis. Vafro enim  
 atque nomini Christiano adeo infenso ho-  
 mini ipse infensus ait: illum Pythagoræorum  
 atque Platoniorum maxime doctrinas secu-  
 tum esse, quas inter hanc quoque refert de fal-  
 sis licito comittendis, si modo iisdem sana-  
 rentur hominum mentes. Verum & nunc  
 taceam, quod hujus doctrinæ nulla inveni-  
 antur in universa Historia Philosophica vesti-  
 gia, sane nunquam se turpius dedissent Philo-  
 sophi, nominisque celebritati maculam ad-  
 sperissent foediorem, quam cum istiusmodi  
 doctrinas inculcare cœpissent. Falsa enim &  
 fabulis sedulo discernenda crediderim. Sub  
 fabularum quidem involucris latent nonnun-  
 quam utilissimæ doctrinæ; qua de causa quic-  
 quid Orpheus, aliique proposuerunt, in fa-  
 bulis proposuerunt; verum illud de menda-  
 ciis dicere non ausim, quæ a veritate decli-  
 nant, aliisque imponunt, & tantum abest, ut  
 ali-

(d) In Scripto Anglice ed. cui Tit: Two Lettres of  
 Advice s. Epistolæ Selectæ, quarum Appendix agit  
 de Sanchuniathone. Excerpta dant Acta Lipsiensia  
 Suppl. T. II. p. 511. sqq.

aliquid boni efficiant, ut potius ii, qui ementiri solent, exoso aliis nomine veniant. Quidvis igitur credere mallem præter hoc ipsum, quod DODWELLVS attulit, & dicis causa tantum dictum credo, quare nec ullus post ipsum recoquere hoc quicquid est, voluit, cum statim appareat quam male procedat. Addit igitur aliud, atque putat Porphyrium SANCHVNIATHONIS auctoritate convellendas litteras sacras sibi sumsisse, sed cuilibet iudicandum relinquo, num exinde consequatur: SANCHVNIATHONEM esse scriptorem malæ notæ? Nemo quidem negabit Porphyrium christianis hominibus non favisse, potius tristis experientia docuit, quam illis illuserit, adeo ut LACTANTIUS (e) credatur eundem intellexisse, cum de duobus conqueritur, qui jacenti atque abjectæ veritati, nescit utrum superbius, an importunius insultarunt, quorum alter philosophiæ antistitem se professus est. Attamen ex hoc ipso, quamlibet impio hominis ausu non nimiam ad Christianos homines utilitatem velut cibum de vorace, & dulcedinem de forti redundavisse STILLINGFLEETVS (f) auctor est. Succedit aliud argumentum, quod, quantum efficere possit, videbimus. Pergit DODWELLVS: neminem Patrum sive ante, sive post Porphy-

(e) De Justitia L. V. c. II. η. τ.

(f) In originibus sacris c. II. §. 2. p. 50. ad Bremens.

phyrium vixerint, ne Tatianum quidem quamlibet Assyrium, rerumque in Phoenice gestarum minime expertem vel verbulo SANCHUNIATHONIS facere mentionem. Hoc ipsum argumentum tanti momenti visum est BASNAGIO, (g) ut idem ad labefactandam SANCHVNIATHONIS fidem urserit: at quam bene ita concludatur, aliorum esto iudicium, mihi sane, si dicendum quod res est, non maximi videtur roboris. Ipse enim DODWELLVS quasi malæ causæ conscius Cyrillum Alexandrinum atque Theodoretum adducit, qui ejusdem meminerint, ne vero sibi ipsi vim inferre videatur, EVSEBIVM tantum secutos esse ex Cyrillo probare conatur, quippe quem memoria lapsum EVSEBII loco Clementem Alexandrinum adlegasse, Josephumque traduxisse SANCHVNIATHONEM, nec non præfationem SANCHVNIATHONIS vocare dicit quæ Philoni adscribenda erat. Adeoque occurrere ejus argumentis facile possumus si non tam quod reverendi patres dixerint; quam quod dicere voluerint, respiciamus. Progre- dimur igitur cum DODWELLO, novo habitu adversus SANCHVNIATHONEM militante. Menandrum enim Ephesium, urget, Dium, aliosque, quos in conquirendis Phœnicum monumentis fuisse occupatissimos con-

(g) In *Antiquitatibus Judaicis* T. II, c. IV, Sect. V. s. 67. p. 594.

constat, penetrasse quidem in Phœnicum  
 adyta, ipsasque ἀναγεφὰς notasse, nequa-  
 quam tamen SANCHVNIATHONIS libros:  
 Verum, quod pace viri dixerim, controver-  
 siæ statum formasse oblitus fuerat. Nititur in  
 id, ut SANCHVNIATHONEM suppositi-  
 tium esse demonstraret, & nunc de libris ejus,  
 quod non inter ἀναγεφὰς comparuerint,  
 dicit, quin potius de istis sermo non erat,  
 quum nulli, quod sciam, scriptorum venerit  
 in mentem dicere, quod SANCHVNIA-  
 THONIS libri inter adyta posita fuerint.  
 Adde, largiamur quoque Viro celeberrimo,  
 comparuisse quæ SANCHVNIATHON scri-  
 psit inter secreta templi, difficilis tamen quæ-  
 stio decidenda manebit: an procedat, quia  
 Menander, atque aliqui patres nullam ejus  
 injecerunt mentionem, nonnisi spurius dici  
 potest? Ecquid enim opus erat, ut omnes Pa-  
 trum de SANCHVNIATHONE essent sol-  
 liciti? Nonne sufficit aliquos ejusdem memi-  
 nisse, nempe Theodoretum, atque qui idem  
 volebat, Cyrillum? Ecquid obstat, quomi-  
 nus in societatem STILLINGFLEETI jam  
 nobis laudati descendamus, atque adeo, quia  
 in nullo patrum nec vola nec vestigium appa-  
 ret, quod suppositus fuerit SANCHVNIA-  
 THON, firmissimo adhuc talo niti existime-  
 mus nostram sententiam, quæ pro Philoso-  
 pho insigni certat? Neque enim periculum  
 erat, quin celarent patres optimi, si fraudis  
 ali-

aliquid subfuisse, quum inter ipsos complures reperirentur antiquitatum sane peritissimi? Sed ad finem properant, quæ DODWELLVS profert in medium & si ultimo loco SANCHVNIATHONEM eludere conatur, beneficio novi teli facere hoc satagit, dum Platonem atque Pythagoram Phœnicum scripta scrutatos, maxime vero hunc Mochi posteris familiariter usum, Mochum vero, Theodotum, ac Hypsicratem post expugnatam a Phœnicibus Macedoniam ex abstrusis jam patentium archivorum latebris protractos, & græce a Chæto, seu ut alii volunt, Læto editos fuisse, neminemque adeo præter SANCHVNIATHONEM latuisse dicit. Sed nec hic victas ipsi manus dabimus, cum de Pythagoræ scriptis, si quid modo unquam scripsit, ad nos pervenerit omnino nihil, neque sic nostrum sit ferre iudicium de eo, quod hic DODWELLVS innuit, siquidem non nisi conjectando illud assequi poterat. Accedit, quod, si nobis etiam conjectare liceat, forte jam tum ex archivo fuerit protractus SANCHVNIATHON, ut igitur Pythagoras particeps fieri ejusdem non posset, nisi tandem nescio, an ex invidia, an pretio, quod summo Phœnicum Philosopho statuerunt, nefas duxerint hominem externum secretorum omnium arbitrum facere. Hæc sunt, quæ DODWELLVS generatim protulit, quibus SANCHVNIATHONEM e cerebro

si non Porphyrii, Philonis saltim prodiisse, nec unquam revera extitisse inter Phœnices existimat.

§. 5. Mirum non est, si eandem DODWELLI sententiam, quamvis non ita rigide tueatur BASNAGIUS, qui dolet BOCHARTO emunctæ naris, & exquisitæ scientiæ viro non suboluisse, quod Porphyrius mala fide egerit. Mirum non est, RICH. SIMONIUM, seu sub quo nomine latere voluit, SAINIORIUM (n) statim in SANCHUNIATHONEM sub commentationis suæ initium invehit, Porphyrium primum esse, qui meminerit Sanchuniathonis, nec quemquam alium id fecisse, qui vero quæso fieri poterat, ut mentionem viri injicerent, cujus lingua ignota omnibus erat? Phœniciam enim linguam adhibuerat SANCHUNIATHON, ipse Phœnix, nec adeo admiratio quem capere poterit, ante Porphyrium alios Græcos non nisi postquam Philo transtulerat, Phœnicem allegasse. Eodem fere modo ANTONIUS van DALEN (o) iniquus est in Porphyrium, ut mendacissimum eum atque a veritate plus vice simplici aberrasse, quamvis non optimo jure dicat in dissertatione super Sanchuniathone, quam HUE TIO opposuit subjunctam dissertationi super Aristeæ de LXX. interpretibus Amstel. ed. 1705.

§. 6.

(n) In Bibliotheca Critica T. I. c. IX. p. 132. sqq.

(o) pag. 478.

§. 6. Disputatum hactenus cum DOD-  
WELLO est, aliisque qui comites ipsi & so-  
cios se adjunxerunt; nunc cum Porphyrius  
ut plurimum suppositionis reus dicatur, juva-  
bit dispicere, quo jure, quave injuria illud  
fiat? Si, quod in animo est, dicendum, &  
quod cum veritate maxime consentire existi-  
mamus, luculentissimo hoc exemplo edoce-  
mur, quanta detrimenta capiat præjudicatis  
animum implere opinionibus. Ita enim apud  
plerosque evenit, ut Porphyrium juratum  
Christianorum hostem execrentur, & quod  
maxime mirum, quid? quod a ratione ab-  
horrere videtur, nulla fide in quacunque de-  
mum re fuerit, dignum habeant; cum tamen,  
salthim, quantum nunc perspicere licet, omnino  
discrimen statuendum sit inter Christiano-  
rum dogmatum, atque historiarum scripto-  
rem. Historici provinciam quidni is quoque  
eum laude sustinere possit, qui adversus sit  
omnibus, quorum animæ CHRISTO servato-  
ri se addixerunt? Ipsum Porphyrium, nemo  
est, quin ad cœlum usque extolleret, atque  
auctoritatem peteret ex dictis ipsius ad faci-  
endam fidem, si Christianis sua ætate pe-  
percisset. Alia vero longe nunc ipsius facies  
est, quippe dum Porphyrius nominatur, pes-  
simæ notæ homo appellatur. Non equidem  
ego is sum, qui causam hominis tueatur a  
vero DEI cultu plane alieni; potius, si quid  
in votis habeo fieri, factumque infectum reddi

posset, nollem sane, ipsi has adversus Christianos calumnias excidisse; detestorque toto animo diras ipsius blasphemias, improbumque conatum, quod salutare JESU nomen impiis libris oppugnare atque extinguere studuit; fateor quoque eum, tot præstantis ingenii monimenta uno eoque infelicissimo scripto proscrispisse: attamen nec adeo rigidus ero in ipso censendo, quum divini etiam & beatissimi priscae Ecclesiae patres maximis eum, si a calumniis discedebant, ornarent elogiis, quos inter præcipue divinum Augustinum, aliosque jam pridem recensuit LUCAS HOLSTENIUS in vita Porphyrii passim, quæ ejusdem libris *περὶ ἀποχῆς* subjuncta est. Et eadem causa subest, quare ab imposturæ fraude liberandum eum existimemus, quia certe nobis persuadere possumus, si ipsum male egisse deprehendissent, id in commune literarum emolumentum indicaturos uisse, patres. Neque tamen prorsus immunis ab omni labe dicitur, in temporum enim doctrina paulo curatius gerere se potuisset, id quod Anglus celeberrimus, qui a partibus ejus ceterum est, non negat. Interim quæ SANCHUNIATHON scripsit *συμφωνήματα* cum Mose sacro scriptore esse dicit Porphyrius, quod qua ratione factum, ex subsequentibus patebit.

§. 7. Propius itaque ad rem accedimus, cumque eorum, qui ex adverso nobis stiant, sen-

sententiam excusserimus; nunc ad eos nos convertemus, qui SANCHUNIATHONEM inter Phœnices inclaruisse dicunt. Nitemur hac in re auctoritate virorum de re literaria æque ac illi insigniter, meritorum, ita, ut iisdem quasi e regione poni possint. Ita vero rem omnem absolvemus, ut de nomine Philosophi nostri, ætate, patria, subsidiis, quibus usus est, scriptisque vel potius fragmentis, quæ ab ipso supersunt, itemque dogmatibus exponamus, quo facto coronandam tractationi nostræ imponemus.

§. 8. Ad nomen itaque ipsum quod attinet, illud in patria ortum existimo. Non ignota quidem URSINI sententia est, qui in Christiani coetus ludibrium excogitatum fabulatur, id quod ex significato vocum hebraicarum: SANCHUNIATHON probare fatigat. Sed violenta hæc expositio jam Cel. FABRICIO (p) visa est. Magis arridet, quod BOCHARTUS (q) ait. Nomen hoc SANCHUNIATHONEM adeptum esse, ex quo animû ad scribendum appulit, hoc ipso se veritatis esse studiosum significans atque exquisitioris doctrine indagatorem. Disceptatum est satis diu atque acriter, fateor, inter eruditos de hoc nomine, EUSEBIUS quippe in loco, quem & nostrum supra fecimus, ait: *φιλαλήθως συναγαγὼν καὶ συγγραψας*, Theodoretus contra

X κ 3

SAN-

(p) Biblioth. græcæ L. I. c. XXVIII.

(q) Geogr. Sacr. L. II, c. XVII.

SANCHUNIATHONIS nomen per φιλαθῆ explicat, κατὰ τὴν Φοινίκων διάλεκτον. Eadem discordia motus DODWELLUS dubitat, num SANCHUNIATHON sit genuinus ille Phœnix Philosophus, ejus fragmenta adhuc hodie supersunt? Dubium vix remansurum spero, si attenderimus, ipsum Philonem πολυμαθῆ καὶ πολυπράγμονα audire, καὶ τὰ ἐξ ἀρχῆς, ἀφ' ἧς τὰ πάντα συνέστ, καὶ πάντων εἰδέναι ποθῶν multifariam doctam, Ἔ curiosum, Ἔ precipue discendi cupidum, ex quibus initiis aut primordiis omnia constata sunt. Cui fidem in hac re dare non recusabimus, si de patria ejus quædam addiderimus. Verum argumenta etymologica non ita magni semper faciendâ, ut auctorem aliquem vixisse prorsus negemus, ejus nomen disceptationi ansam dedit, ut proinde nec DODWELLUS audiendus sit, si τὸ SANCHUNIATHON ex Ægyptiorum Sonchide derivare vult, quem apud ipsos ἀρχιπροφήτην καὶ λογικότατον τῶν ἱερέων, mutataque tantum non nihil formam vocis esse jalet, ne factus claro nimis indicio fucus ita facile deprehendatur, cum conjecturarum maximus in ipso provenus fuerit ingenium viri satis declarantium.

§. 9. Aetatem potius SANCHUNIATHONIS scrutabimur, ubi vero cimmeras deprehendimus tenebras, adeo ut in tanta scriptorum discordia optimum facta videatur

penitus abstinere, ne vel huic vel alii cuiquam adsentiamur. Quot enim SANCHUNIATHONIS meminerunt, totidem circa ætatem diversi inter se sunt, tantaque animorum agitatione illud faciunt, ut maximi momenti rem suscepisse videantur. At ne dies sufficeret enarrandis SCALIGERI, & qui eidem e diametro adversus est, DION. PETAVII aliorumque sententiis, quæ circa Semiramidis & universæ Monarchiæ Assyriorum tempora atque miserabile Troiæ excidium inciderunt, qua ætate fuisse SANCHUNIATHONEM perhibent, cum adhuc nuper aliqui caput inter eruditos extulerint, qui, quicquid de condita Assyriorum Monarchia dicitur, inter fabulas referunt. Si in re accipiti aliquid statuendum est, cum CELLARIO faciemus æternæ famæ viro, qui pridem cognovit quam inter se discrepent CNIDIUS, CTESIAS & HERODOTUS, & quam ille fabulis nimium indulserit, in elegantissima dissertatione *de principio Regnorum & Historiarum proposuit*, inque eadem re summorum virorum adsensum sibi conciliavit. Rebus enim ita comparatis ante omnia evincendum existimo, in quem annum post orbem conditum Assyriorum Monarchia incidat, sic demum SANCHUNIATHONIS ætas, quantum divinando adsequi licet, tutius defini-ri poterit. Si tamen aliquid certi de ætate SANCHUNIATHONIS dicendum fuerit, ad

partes JONSII (r) transibimus, qui SANCHUNIATHONEM inter incognitæ ætatis scriptores refert, quo ipso tamen non negat eum plane extitisse.

§. 10. Inde in patriam viri nos conferimus, sub quo sole natus sit SANCHUNIATHON, exploraturi; At & hic in diversum eunt, qui quicquam de eo consignarunt. SUIDAS *τύριον φιλοσοφον* vocat, & haud paucos sane in societatem sententiæ traxit; nondum tamen omnium calculos obtinuit, cum alii non minori cum applausu Berytium appellitaverint, à Beryto urbe nobilissima, quæque propter antiquitatem Saturnum conditorem adepta, nec minimam inde celebritatem nacta dicitur, quod juris ac reliquarum scientiarum Scholam eamque illustrem habuit. Quicquid hujus rei est, facile inter dissentientes conveniet, si utramque non ignobilem sane urbem inter Phœnicæ inclaruissæ, adeoque SANCHUNIATHONEM ex communi patria Phœnicem adfirmaverint. Eadem sane fabula ludi videtur cum SANCHUNIATHONE, quæ quondam cum Homero, circa quem amplissimarum urbium concertationem fuisse constat. Nobis perinde est, si ve Berytium si ve Tyrium dixeris, de Beryto tamen placet vel ideo sententia, quia fortasse in tam illustri loco, qualis prædicatur, cum aliis communicavit, quidquid ipse sapientiæ hauserat.

(r) *Histor. Philos. L. IV. p. 336.*

ferat. Plura de Beryto ut addamus caussæ nihil est, quam illustris Jctus JO. STRAU-  
CHIUS in elegantissima expositione ad Tit.  
C. de Metropoli Beryto, (s) plura dixerit, &  
doctissimus quondam in Athenæo Bremensi  
Professor JAC. HASAEUS libro singulari de  
Berytensi jureconsultorum Academia (t) rem ita  
expediverit, ut, quod addi queat, non ha-  
beamus, Berytumque SANCHUNIATHONI  
vendicaverit.

§. 11. Ex patria reversis, num SANCHU-  
NIATHON memoriae aliquid prodiderit, di-  
spiciendum erit amplius? SUIDAS, quem  
supra jam adduximus, ait scripsisse eum περι  
της Ερμης Φυσιολογίας, ή της μεταΦρασίθη πατρία Ιουδαίων  
της Φοινίκων Διαλέκτω, Αιγυπτιακήν θεολογίαν, καί  
άλλα πνα. Scripsit de Mercurii Physiologia, que  
(in linguam Græcam) translata est, antiquis Ty-  
riorum institutis, lingua Phœnicum, Theologiam  
ægyptiacam & alia. PORPHYRIUS(u) vero την  
Φοινικήν ιστορίαν refert, ήν Σαρχαενιάδων μεν τη Φοι-  
νικών γλώττη συνέγραψεν, φίλων δε ο βύβλις εἰς  
την ἐκείνην γλώσσαν ὀκτώ βιβλίων ἡρμήνευσεν. Il-  
lud hoc loco maxime tenendum, non dissi-  
dere inter se EVSEBIVM (x) atque POR-  
PHYRVIM, quamvis ille SANCHVNIA-  
THO-

X x 5

THO.

(s) Brunsvigæ 1662. 4. edita.

(t) Qui primo loco compareret in nova rariorum libro-  
rum collectione, quæ Halæ a. 1716. prodiit, Fa-  
scicul. V.

(u) L. II. de Abstinencia §. 56.

(x) L. I. Præp. Evang. p. 31.

THONIS opus univcrsum novem in libros distribuerit. Fieri enim potuit, ut nota numeralis  $\theta$  in  $\eta$  fuerit mutata librariorum incuria, ut THO. REINESIVS (y) suspicatur, vel quæ DODWELLI conjectura est, ut librum Philonis Byblij, quem citat  $\pi\epsilon\lambda\iota\ \iota\delta\alpha\iota\omega\nu$  una computaverit EVSEBIVS, vel denique, ut ex BOCHARTI mente librum primum Theologicum a reliquis octo historici argumenti Porphyrius exemerit: At hæc conciliatio parum nostra refert, magis commoda nostra illud provehit, quod quæ de rerum conditu, ac divino, qui apud Phœnices receptus erat, cultu SANCHVNIA-THON consignavit, velut in tabulæ elegantissimo fragmento, quod saltem superesse gratulamur, dum singula accipere non licuit, nobis adservato exhibet EVSEBIVS. (z)

§.12. In eo Philosophiam & quid SANCHUNIATHON de ea quoque senserit, contineri non est quod dubitemus. Illustrarunt illud pridem viri, quorum labor ad Phœnices quoque sese contulit, inprimis BOCHARTUS, sed, quod maxime dolemus, ex parte tantum, ita ut optandum sit, quo aliquis hocce sibi sumat, ac quæ ibi exponuntur in compendio, commentationibus atque dilucidationibus doctis illustrare velit. (a) Longius vero

(y) De lingua punica c. XII.

(z) l. c. c. X. p. 33.

(a) Id vero nuper factum est, V. Cl. IV. p. 1091.

vero quum fragmentum sit, quam quod apponi possit, lubentes illud deserimus.

§. 13. Hoc vero nobis impositum videmus, ut, dum de fragmento viri diximus, illorum quoque faciamus mentionem, per quos profecisse eum EUSEBIUS atque PORPHYRIUS sæpe hac in re laudati testantur. Primo quidem loco τῆς Ἱερομβάλης τῆς ἱερῆως Θεῆς τῆς Ἰεῦω meminerunt, de quo nomine multæ inter interpretes difficultates motæ sunt. Præter enim illud, quod nondum exploratum sit, an, quod plerique volunt, per τὸν Ἰαω vel Ἰεῦω intelligatur Jehova? de Hierombalo quoque insignis est dissensus. Plurimi, & tantum non omnes qui adductum EUSEBII locum aliqua ex parte illustrarunt, Hierombalum vel Jerubaalem Gideonem esse existimant, in eo tamen differunt, quod SIMONIUS objiciat: Gideonem non fuisse sacrificatorem de tribu Manassis, itaque minime apud Hebræos, potius apud Phœnices quaerendum esse, quum quoque gentiles fuisse dicat, qui ad adorandum verum Israelitarum Deum convenerint, ipsosque Tyrios Deo vero atque summo singulares quosdam, & quasi minorum gentium Deos adsociasse. Longe aliter hac de re differit BOCHAR-TUS, & Hierombalum sive Jerubbaalem, quasi cognominatum esse Gideonem probare (a) conatur, & in hoc ipso Pleonasmum offendi

(a) Ex Judic. VIII. 35.

fendi, qui locum etiam habeat, si PETRUS vocatur SIMON PETRUS. Ut prætermittamus BOCHARTI explicationem, quæ SIMONIO contorta, nec ab ipso legitime adducta videtur, quasi <sup>מנחם</sup> non modo sacrificatorem, sed & principem, vel præfectum denotet, quod ut probet, Paraphrasin Chaldicam in testimonium adducit. Enimvero, alii quoque audiendi sunt, nec nimis diu BOCHARTO inhærendum, quamlibet omnino in eandem cum ipso sententiam abeamus; neque evictum sit, hanc ipsam BOCHARTI sententiam, quæ Venerando quoq; BVDDEO Histor. Ecclesiasticæ. V. T. P. I. p. 968. 981. arripet, *ἀντιστοχίας* posse ineulari, id quod peculiari scripto demonstraturum se promisit eruditissimus JAC. HASAEVS in elegantissima dissertatione p. 109. antea nobis laudata, non tamen quod sciam, vel ipse morte scilicet (b) præventus, vel alius evicit. Quamvis enim nec Levita, nec de tribu Manassis fuerit Gideon, nihilo tamen fecias sacerdotem eum habitum fuisse, quia ex hostium spoliis Ephod in urbe sua constituit, quo ad idololatriam abusi Israelitæ sunt constat, (c) augetque suspicionem illud, quod a morte Gideonis coluerunt Baalberith. WITSIVM (d) si con-

(b) Nihil, quod huc spectat, inter ejus schedas reperi-  
tum est. T. d. H.

(c) Ex Iud. VIII. 37.

(d) In Aegyptiacis L. III. c. II. §. 2.

fulamus, Mosen per Gideonem intelligi respondebit, & Commentarios Gideonis eodem, cum Mosis libris, sæpe enim paganos in conferendis nominibus sacris esse hallucinatos. DODWELLO denique & HVETIO, quamvis per Hierombalum non nisi Gideonem denotari existiment, secus videtur. Ille quidem malæ fidei argumentum esse existimat, quod sacerdos vocetur Gideon a SANCHUNIATHONE, homine non loco tantum, sed & temporis vicinia maxime propinquo, ad quem refellendum resumamus quæ BOCHARTVS supra dixit. Hic vero cum WITSIO Mosis libros intelligens ansam præbet de reliquis SANCHVNIATHONIS subsidiis exponendi.

§. 14. TAAVTI libros porro refert PORPHYRIVS, eoque ipso suavissimam occasionem suppeditat CEL. HVETIO (y) Mosen prædicandi, non enim alium quemquam nisi Mosen per TAAVTVM indigitari sibi persuadet. Qua quidem in re fidem mereretur doctissimus vir, nisi omnes omnino paganos, quocunque innotuerint nomine, si quid memoria dignum vel gesserunt, vel conscripserunt, Mosis nomine insigniret. WITSIVS (z) equidem hoc ipsi largitur, dum SANCHVNIATHONEM *ex Mosis historia sua depromsisse*, ait, sed per multos anfractus, quæ de  
mun-

(y) Demonstrat. Evangel. Propos. IV, c. III. p. 100.

(z) l. c. §. 9.

mundi primorumque hominum ortu narrat, quamvis miris torsionibus & putidis parachronismis omnia involvat. Quam facilis vero hac in re fuit WITSIVS, tanta HVETIO severitate dicam scripsit ANT. van DALEN, (a) qui quam male inter se conveniant Moses ac Taautus, uberius differit. Id sane omni exceptione majus est, quod tamen nescio an etiam huc quadret, quod in scholis Philosophorum dicitur: *Duo cum faciunt idem non est idem.* Taautus ille, qui a Philone primus invenisse litteras dicitur, Hermetis nomine aliis, & imprimis DODWELLO venit, qui hoc addit, Ægyptiorum quidem religionis in celandis mysteriis fuisse auctorem, & invenisse morem abbreviate scribendi, per Hieroglyphica dicunt; nihil tamen harum rerum evulgasse, quum periculum fuerit, Ægyptios ipsum erectis in contumeliara tabulis proscripturos fuisse. Enimvero, quis est qui potestatem Hermeti denegaverit, quod ipse invenit cum aliis quoque, quocumque demum modo communicandi? Apprime vero placet HERM. WITSII sententia, plures Mercurios fuisse multumque laboris nobis injunctum dicentis, si definire hos tantum velimus, quorum ope usus est SANCHVNIATHON. Erudita vero & hæc sunt, quæ adfert DODWELLVS: Taauti, Sethi, Mercuriique columnas diverso quamvis nomine idem dicere,

cer-

(a) l. c. p. 480.

certe si recte per TAAVTVM Moses intel-  
ligitur, ad oculum patet paganos haut pauca  
ex sacris Hebræorum fontibus hausisse, &  
quicquid inde in suam rem convertere pot-  
erant, deturbasse. Et hac ratione VRSINO  
etiam itur obviam, quidam SANCHVNIA-  
THONEM ex Taauto cuncta sumisse dicit,  
addit: *exscriptori eandem, hoc est, nullam fi-  
dem, atque ipsi auctori habendam, aperto saltem  
furto non pauca ex Mose fuisse suffuratum.*

§. 15. Ultimo loco adhuc ponuntur τὰ κα-  
τὰ πόλιν ὑπομνήματα, καὶ τὰ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγε-  
φὰ singularum urbium acta, & templorum moni-  
menta, quæ inter secretissima Ægyptiorum  
numerari solent. DODWELLVS, & cum  
eo BASNAGIVS, priscas ejusmodi templo-  
rum inscriptiones fictas fuisse, & nusquam ex-  
titisse clamitant, nec adigi possunt ut credant:  
SANCHVNIATHONEM ne circumcisum  
quidem ab Ægyptiis ad intelligenda vel de-  
scribenda hæc secreta fuisse admotum, cum  
præterea pauci sacerdotes abstrusos hosce  
characteres intellexerint. Enimvero, quæ  
falsi insimulantur, monumenta omnino exti-  
terunt, nulla enim gens est, cui non recondita  
nonnulla fuerint, neque vulgo ita nota. De  
Hebræis JO. MORINVS (b) adserit, du-  
plicem Mosis fuisse characterem, sanctum al-  
terum, alterum profanum. Βαβυλωνίων ἱερεῶν

JAM-

(b) in Exercit. Ecclesiasticis ad Pentateuchum Sama-  
ritanum Exercit. II, c, V.

JAMBlichVS (c) in vita Pythagoræ adtulit, Ægyptiisque secretum quoddam scribendi genus fuisse dubitare nos non sinit JO. MARSHAMVS, (d) qui triplex scribendi genus, ἐπιστολογραφικόν, seu vulgare, ἱεροπικόν, quo utuntur, qui de rebus sacris scribunt, ἱερογλυφικόν sacram sculpturam, cujus denuo duas species adducit κρυπτολογικὴν proprie loquentem, & Συμβολικὴν per signa, hujusque postrema egregium specimen in SANCHVNIATHON scriptis habere nos addit. Quum vero ἀπὸ γρυφα γράμματα interdum laudentur, illa SIMONIO plane alia sunt, ac quæ jam adduximus scilicet cum aliis si contuleris, ita dictis libris, qui, si publici juris fiebant, φανερά γράμματα vocabantur, qua in re Origenem (e) ipsi facem prætulisse memorat. Hisce quamvis secretioribus litteris & monumentis usum SANCHVNIATHONEM esse cur negares? neque enim DODWELLVS obstat, Pythagoræ exemplo adductus, quamvis a Polycrate commendati, ægre tamen admissi, cum longe arctius inter Phœnices ac Ægyptios, atque inter eosdem & Samios fuerit amicitiae vinculum.

§. 16. Hæc sunt, quibus locus ab EVSEBIO adductus illustrari pro modulo nostro potuit. Sed profecto nihil dixisse videremur, nisi PHILONEM Byblium commemorare-

mus,

(c) c. XXXIV. n. 242. p. 195. ed. Lud. Küsteri.

(d) Canon. Chronic. p. 32. ed. Lips.

(e) in Epistola ad Africanum.

mus, qui suam in transferendo SANCHVNIATHONE collocavit industriam, qui ab aliis ejusdem nominis caute discernendus est. SVIDAS ita de eo habet: Γεγραμμένος γέγονεν ἐγγὺς Νέσων, καὶ παρῆλθεν εἰς μακρόν. *Philo Biblius Grammaticus*, hic natus est circiter tempora Neronis, & diu vixit. Idem ille Philo meretur, ab VRSINO diaboli advocatus appellari, sed nescio quo jure. Alii, inter quos DODWELLVS, Philonem imposturæ perhibent reum, eum quidem adversus JOSEPHI libros, quos contra Appionem inscripsit, hosce SANCHVNIATHONIS libros produxisse, cumque nova fingere non valeret, prisca finxisse, gentisque suæ gloriam ubique amplificare studuisse. Verum, quamvis non negem, JO. CLERICVM, (f) WITSIUM, BASNAGIVM, hac in re maxime DODWELLYM sequutos PHILONI parvam fidem habere: nihil tamen impedit, quo minus cum ED. STILLINGFLEETO aperte profiteamur, tantum abesse, ut mala fide egerit, ut potius si egisset mala fide, imposturam aperuissent patres, quorum memoriam reveremur, quos sane vix crediderimus fictum librum sibi obtrudi passos esse.

§. 17. Hoc tamen non prorsus negabimus, quod SANCHVNIATHONEM inter-  
Class. VI. Fasc. IV. Yy po-

(f) in *Comma ad Judis*, VIII. 33.

polaverit, quamvis diserte adfirmare illud nostrum non sit. Optime judicaremus, si SANCHVNIATHONIS, TAAVTI, atque PORPHYRII libri superessent omnes; Hi vero cum temporum injuria fuerint deperditi, dolemus jacturam, SANCHVNIATHONEMque in tam antiquis temporibus sapientiae se dedisse miramur. Neque nos facile a sententia, quod vere inter Phoenices vixerit, nostra avelli patiemur, quod MOCHVS, HYPsicRATES, aliique Phoenices Philosophi patria lingua GVNDLINGIO (g) dicuntur pertexuisse telam, quam SANCHVNIATHON cœperat, eundemque lingua patria continuasse; palmam tamen meliora edocti lubentes concedemus, qui speciminis gratia hæc, qualiacunque sunt, hætenus differuimus.

§. 18. Integrum denique nobis foret, de spoliis paganorum e Christianismo quædam adjicere, & ex promissi memoria notandum ceu elegans quoddam veritatis testimonium ex paganis JVLIANI Imperatoris, quam ad VRSACIVM dedit, epistolam (h) huc apponere: Verum quum instituti ratio illud nunc quidem dissuadeat alio tempore eoque opportuniore faciemus quod jam eodem exclusis non licet, deque usu tractationis ex pri-

(g) in Historia Philos. Moralis P. I. p. 108.

(h) Juliani Opp. P. II. Ep. XLIX. p. 202. ed. Par.

prisca Historia de SANCHVNIATHONE,  
 alibi cum fragmentum ipsius Phœnicis ab  
 EVSEBIO conservatum commemoran-  
 dum erit, amplius commen-  
 tabimur.



VI.

Suspiria piæ animæ

secundum PSALMO-  
 RUM ductum, atque ordinem  
 ante annos circiter nongentos (a) con-  
 scripta, & nunc primum  
 edita.

Pf. I.

**E**ffice nos Domine tanquam, fructuo-  
 sissimum lignum ante conspectum  
 tuum, ut vivis imbribus irrigati me-  
 reamur tibi suavium fructuum uber-  
 tate placere.

Y y 2 2. Dis-

(a) Descripta hæc sunt ex Codice membranaceo in  
 forma quadrifariam complicata, qui inter χειρηλια  
 Bibliothecæ Tigurinorum Carolinae adservatur,  
 quem circa sæculum IX. exaratum esse characteres,  
 qui simillimus est illis, quibus, Biblia illa, quæ a  
 Caro-

II. Disrumpe, Domine, nostrorum vincula peccatorum, ut jugo tuæ servitutis innexi valeamus tibi cum amore & reverentia famulari per Dominum.

III. Effunde, Domine, benedictionem tuam super populum tuum, ut tua resurrectione muniti non timeamus ab aduersantium vitiorum militia circumdari.

IV. Exaudi nos Domine, & in tribulatione.

Carolo M. Tigurinis donata creduntur, & ab eo Carolina appellatur, quorum meminit Heideggerus Enchir. Bibl. L. I: c. I. §. 16. quaeque L. III: c. I. §. 6. *elegantissima*, & annis octingentis *vetustiora* vocat, conscripta sunt, affatim docent. Suspiria sunt & preces jaculatoriae singulis Psalmis subscripta, summam eorum continentia; insigne pietatis illius aevi monumentum, superstitione, quam postera saecula quibus omnia in *peius* ruere, & *retro* sub lapsa referri coepere, invexerunt, si a pauculis discesseris, immunia. Utut brevia sunt, pulcherrimis tamen meditationibus uberem materiam praebere possunt, quod mihi experto credi potest. Si quid itaque ex ejus lectione voluptatis ad te redibit, B. L. gratias mecum age celeberrimis scholae & ecclesiae Tigurinae sideribus, *Johanni Jacobo*, Patri & filio *Hottingeris*, qui haec ex Autographo descripta mihi transmiserunt. Abbreviaturas, quae in Codice Mss. occurrebant, supplevi. Voces nonnullas, quas injuria temporum corruperat, retinui quidem, at, quomodo corrigendas putem, simul adjeci. Praeterea singulis Psalmis, addita erat formula; *per Dominum, vel per Dominum nostrum Jesum Christum*. Id quod semel monuisse suffecerit. T. d. H.

tionibus nostris miserere nobis, & qui solus magnificaris in populis lætitiã spiritualem tribue in spe futurorum munerum constitutis.

V. Pie Domine qui attriti cordis gemitum priusquam proferatur intelligis effice nos quasi templum paracliti, ut mereamur scuto cælestis benivolentiæ coronari.

VI. Exauditor omnium, Domine, exaudi nostrorum fletuum supplicem vocem, & tribue infirmitatibus nostris perpetem sospitatem, ut dum dignanter gemitum nostri laboris suscipis, tua nos semper misericordia consoles.

VII. Scrutator cordium, D. libera nos a persequentibus nos, & da nobis in tui expectatione iudicii firmam custodiam mentis, ut non retribuamus inimicis mala pro malis.

VIII. Admirabile nomen tuum, omnipotens Domine supplices exoramus. Ut qui omnem creaturam mundi ad usus hominis subiecisti, nos ad tuæ servitutis officium dignos digneris efficere, per Dominum nostrum.

IX. Confessioni nostræ piã aurem tuam, Domine Clemens aperi, qui sperantes in te numquam consuisti relinquere, ut ex altari de portis mortis perpetuæ possimus salvi temptatoris occultas insidias effugere.

X. Dirige oculos pietatis tuæ super humilem paupertatis nostræ personam omnipotens

tens Domine & circumda nos fidei armis, ut ab iniquitatis sagittis eruti valeamus æquitatem & iustitiam custodire.

XI. Miserere fragilitati nostræ sanctissime pater, & concede nobis eloquia tua pudico corde continere, ut possimus a multiloqua doloitate insanientium declinare.

XII. Ne avertas faciem tuam omnipotens Deus, ne inimici nostri exaltentur adversum nos. Sed ita cor nostrum salutaris tui exultatione perfunde, ut facias nos somnum secundæ mortis evadere.

XIII. Dignare, Domine, de cælo sancto tuo respicere super filios hominum, & da nobis agnoscere viam pacis, ut adversa vitiorum captivitate depulsa, cælestis Hierusalem habitaculis perfruamur.

XIV. Concede nobis, piissime Deus, sine macula ingredi Ecclesiam tuam, & averte nos a dolis proximi, & usuris, ut dum hæc secundum tuum observamus præceptum non commoveamur ab æmulis suppliciis in æternum.

XV. Conserva Domine sperantes in te & effice voluntates tuas nobiscum, ut clarificati lætitia resurrectionis tuæ mereamur a dextris tuis cum sanctis omnibus delectari.

XVI. Convertete Domine oculos cordis nostri ad cernendam tui iudicii veritatem ut dum hic igne spiritali probamur, de tuis in

æternum conspectibus cum fructu justitiæ satiemur.

XVII. Firmamentum spei & refugium præsuræ, piissime Deus. Salva nos ab inimicis, & a laqueis mortis, ut adsumpti de multitudine circumstantium tribulationum devotissime sancto nomini tuo, cum innocenti puritate Psallamus.

XVIII. Piissime Deus, qui virginali thalamo egressus procedens liberatos nos ad patris dexteram conscendisti: inmensam misericordiam tuam exposcimus, ut in lege tua conversi, præceptis inluminatis testimoniis eruditi mereamur & ab alienis & ab occultis vitiis emundari.

XIX. Imple Domine, petitiones nostras & tamquam pinguissimum nos holocaustum adsume. Ut & inimicorum curribus obligatis Salutaris tui opitulatione lactemur.

XX. Benedic nos Domine benedictione dulcedinis & comple tibi placitum nostrum desiderium, ut dum jugiter virtutes tuas suavi modulatione concinimus, longitudinem vitæ perpetuæ consequamur.

XXI. Caput misericordiæ, Deus, qui propter nos descendens in utero, addictus ligno, perfossus clavo, vestimentis insuper forte divisis surrexisti liber ab inferis. Precamur ut hujus sancti commercii non inmemor sis populi ab ore leonæ ereptor, qui sui-

ſi quondam patribus in te ſperantibus liberator.

XXII. Rege nos Domine ſuavibus tuæ præceptionis abenis, ut æterni tabernaculi habitatione percepta plenitudine pereanis poculi repleamur. Per Dominum noſtrum.

XXIII. Stabilitor terræ, Deus, cui cuncta mundi plenitudo deſervit. Reſtitue nos in innocentiam vitæ. Ut poſſimus de prævio montem ſanctificationis aſcendere.

XXIV. Mitiffime Deus qui ad te animas noſtras erigimus, obliſcere quæſumus delicta juventutis & ignorantia prioris, ut ſi quid negligenter deliquimus, clementer ignoſce.

XXV. Largire, Domine, miſericordiam tuam famulis ſupplicibus & fac nos in tua veritate devotos, ut actibus in innocentiam reſtitutis liberari mereamur ab impiis.

XXVI. Deſenſa nos a caſtris & a præliis inimici adjutor omnium Deus, ut in domo tuæ perpetuitatis durantes mereamur cultum tuum ſpirituali contemplatione ſuſcipere.

XXVII. Fortitudo omnium fortiffime Deus, ſalva populum tuum a deſcendentibus in lacum & ita nos in templo ſancto tuo unanimiter innecte. Ut pacem quam proximis ore proferimus, cordibus teneamus.

XXVIII. Dona Domine virtutem tuam populo tuo, & effice nos templum Spiritus San-

Sancti ut tibi de corde puro holocaustum acceptabile præparemur.

XXIX. Susceptor omnium clementissime Deus, ne permittas delectari inimicos nostros super nos, sed ita nos tua virtute corrobora, ut conversum planctum nostrum in gaudium sanctitatis tuæ memoriam jugiter excolamus.

XXX. Immensam multitudinem dulcedinis tuæ, piissime Domine suppliciter exoramus, ut dum veritatem tuam requirimus tumorem execrabilem superbiæ conteramus.

XXXI. Sancte Domine, qui remissis delictis beatitudinem te confessis attribuit, exaudi vota præsentis familiæ & confracto peccati aculeo spirituali nos exultatione perfunde.

XXXII. Pasce Domine plebem tuam in fame verbi tui, & eripe animas nostras de morte peccati ut repleti misericordia tua aggregari justorum gaudiis te impertiente mereamur.

XXXIII. Angelorum & totius creaturæ dispositor Deus, emitte angelum tuum in circuitu nostro cujus ambitione munitis mereamur a peccatorum morte pessima liberari.

XXXIV. Protectio salusque animæ nostræ, operi nos galea spei & scuto inexpugnabilis munimenti, ut a te in causis nostræ necessitatis adjuti mereamur cum te diligentibus lætitia & exultatione perfundi.

XXXV. Clarifica nos cælesti misericordia

fontis & origo luminis sempiterni, ut ubertate domus tuæ repleti, omnem iniquitatem & dolorem cum procacitate ferocis superbiæ renuamus.

XXXVI. Beatitudo omnium non incerta justorum Deus qui sanctos tuos non derelinquis in fame, nec in studio tribulationum superare permittis, precamur ut ea nos munias dextera, quam illis ne corruant velociter porrigis præparatam.

XXXVII. Emitte salutare tuum infirmitatibus nostris vulnerum cicatricumque mortalium, potentissime medicator, ut omnem gemitum doloremque nostrum coram te deplorantes, valeamus evincere insultationes adversantium vitiorum.

XXXVIII. Custodi Domine viam nostram ne delinquamus in lingua. Ut in meditationibus nostris spiritali igniculo ardescente ea thesaurizemus in sæculo, quæ te tribuente capiamus (a) exordium.

XXXIX. Expectatio tuorum unica famulorum Deus, quem venturum in mundum caput libri principalis edocuit inserere. Precamur legem tuam in medio cordis nostri, ut tuas justitias nuntiantes ab imminentis periculis eruamur.

XL. Nostrorum peccaminum mitis indulgentor ac æterne Deus, qui dignanter insinuas effugere diem malum, si misericordia subsequatur

(a) lege, in æternum.

turegenum, fer opem quæsumus doloribus nostris, ut dum carnalia delicta clementer arguis, medicinam animæ placabiliter largiaris.

XLII. Vultus nostri mirificum salutare, quem animæ fidelium ardenter sitiunt servulorum. Tribue quæsumus ut dum te visibili lacrimarum imbre pasti requirimus, invisibiliter te intra pectoris nostri tabernaculum collocemus.

XLIII. Te fontem perpetui luminis omnipotens Deus, invocamus & quæsumus ut emissam veritatem tuam in cordibus nostris novæ nos lucis claritate perfundas.

XLIII. Exsurge Domine in auxilium nostrum, erue nos ab opprobriis vitiorum, & qui coram patribus nostris inimicarum gentium regna vicisti a persequentibus inimicis, vultus tui inluminatione nos eripe.

XLIV. Christe Domine, verbum Patris, per quem cuncta creata sunt, & creantur. Custodi quæsumus ecclesiam tuam varietate gentium congregatam, ut dum te ex ipsa (b) credulitatis justitia, corde puro deligimus, principatum æterni sæculi cum patribus mereamur.

XLV. Perspicuum imminente tribulatione refugium, misericors Deus sanctifica impetu æterni fluminis habitaculum cordis nostri, ut

(b) id est, fidei,

te Domino virtutum nobiscum cooperante  
terrena proelia confutemus.

XLVI. Rex omnium sæculorum, Deus cu-  
jus regnum super omnes populos dilatatur,  
subjice quasi gentes vitiorum sub pedibus  
nostris. Ut dum tibi Domino nostro Psalli-  
mus sapienter tuo eas auxilio superemus.

XLVII. Laudabilis atque terribilis Deus,  
qui in cælestem Hierusalem princeps magnifi-  
cus es. Dilata mentem nostram spiritali intelli-  
gentia. Ut misericordiam tuam in nostri pe-  
ccatoris templo susceptam digni narratione tui  
nominis habeamur.

XLVIII. Reple Domine os nostrum sapi-  
entia tua, ut memores te hominem factum,  
Nosque redemisse de tartaro mereamur vul-  
tus tui lumine decorari.

XLIX. Deorum Domine, te rogamus uti  
nos suscipias in sacrificio laudis, quo sine onere  
peccati tuas justitias enarrantes, iter illud quo  
salutare tuum ostenditur, gradiamur.

L. *Deest.*

LI. Totius mundanæ vanitatis destructor,  
omnipotens Deus fac nos in domo tua sicut  
olivam florere fructiferam, ut in tua miseri-  
cordia sperantes ab iniquitatis maledicto sal-  
vemur.

LII. Respicens de cælo sancto tuo Deus  
pone terminum insipientiæ nostræ, ut a terro-  
ribus vanis eruti tibi soli de puritate cordis in-  
tegra placeamus.

LIII. Salvifica Domine Ecclesiam tuam in  
tui nominis protectione confidentem, ut de-  
spectis inimicis voluntaria te confessione ma-  
gnificet.

LIV. Jesu Domine qui ante sæcula cum  
patre & Spiritu Sancto manens, conditio-  
nemque humanam suscipiens ab (c) unani-  
mo discipulo proditus, Exaudi orationem  
supplicum, & præsta ut te & vespere & mane  
meridieque laudantes mereamur ab hujus sæ-  
culi tempestatibus defensari.

LV. Bellorum optime propugnator Deus,  
qui in te fidentes ab inimicis obrui non per-  
mittis, exterge precamur ab oculis nostris  
peccata lacrimarum, ut dum carnalia bella  
comprimimus; placere tibi in lumine viven-  
tium mereamur.

LVI. Transfer Domine iniquitatem fami-  
liæ hujus sub tuarum alarum umbra sperantis.  
Ut permissam de cælo misericordiam tuam,  
a nequissimis, quibus insidiamur foveis erua-  
mur.

LVII. Justissime Domine, concede po-  
pulo tuo sequi justitiam. Diligere legem re-  
ctam. Ne si a veritate tua auditum averten-  
tes a venefici serpentis moribus faucie-  
mur.

LVIII. Omnipotens Domine, cujus vir-  
tutem atque misericordiam matutinolauda-  
mus in tempore fortitudinem nostram. Ora-  
mus

(c) lege, *inhumano*.

mus & quasumus custodias. Ut ab omni obscuritate tenebrarum eruti matutino lumine decoremur.

LIX. Omnipotens mitissime Deus humani generis restaurator & rector, qui fideles tuos sic deponis ut erigas. Sic humilias, ut ad cælorum regna perducas. Intercedentium corda pia miseratione custodi. Ut ad miserationis tuæ remedia fugientes, sanatis contritionibus æterna felicitate te largiente perfrui mereamur.

LX. Anxietatum nostrarum misericordissime consolator Deus protege familiam tuam a facie inimici, ut a te turre fortitudinis præmunita, inhabitare tabernacula mereamur æterna. Per Dominum.

LXI. Subde Domine animas nostras, qui tu es patientia vera. Ut renuentes incerta divitiarum oblectamenta Te solum contempta omni vanitate sequamur.

LXII. At te diluculo vigilantibus lumen largire perpetuum auctor lucis æternæ, ut te labia nostra laudent, te vita benedicat, te meditatio matutina glorificet.

LXIII. Tutela omnium Deus credentium, Custodi Ecclesiam tuam a conventu malignantium, qui eam occultis jaculis impugnare nituntur, vitæ salubri rectoque retinens  
in.

intellectu justorum meritis (d) perpetua-  
tis conlactetur.

LXIV. Spes omnium finium terræ, exaudi  
orationem supplicem familiæ tuæ. Ut dum  
te plausu consono & immo (e) modulante  
(f) persultat, infusione paraclyti decorata,  
multiplici fructu pinguescat.

LXV. Insinua Domine menti nostræ glo-  
riam laudis tuæ. Ut dum hujus sancti incen-  
dia evitamus in æterna refrigeria te præfule  
transferamur.

LXVI. In lumina Domine, vultum tuum  
super nos & misericordiam nobis uberem be-  
nedictionemque largire.

LXVII. Dominator Domine, qui justis spi-  
rituale epulum tribuis & facis eos in lætitia  
delectari. Concede gregi tuo mortem tuam  
intelligere, teque triumphatorem mortis se-  
dentem ad patris dexteram confiteri.

LXVIII. Benignissime Domine exaudi  
nos in veritate salutis tuæ, ut eruta ab squalo-  
re peccati mereamur in libro vitæ digno cæle-  
sti conscribi.

LXIX. Inexhausti adjutorii Deus æterne  
ad adjuvandum familiæ tuæ supplici festinus

oc.

(d) Haec verba vix sanum sensum fundunt; Quid  
si ita legamus? Ut vita salubri rectoque retinens  
instituto justorum meritis perpetuatis conservetur.  
T. d. H.

(e) lege hymno.

(f) lege personat.

occurre, ut evictis malignorum opprobriis  
tuis semper auxiliis muniamur.

LXX. Excelsi solii regnator immense, qui  
sperantes in te damnari æternis confusio-  
nibus non pateris. Reple quæsumus labia no-  
stra laude tua & his nos semper meditationi-  
bus bonorum insinuator exerce.

LXXI. Nomen tuum omnipotens ante  
omnia sæcula, benedictum invocantes ora-  
mus, ut humiliato calumniatore pacem po-  
pulo justitiamque largiri digneris.

LXXII. Fac nos Domine tibi jugiter adhæ-  
rere, in tota virtute spei nostræ defigere,  
ut mereamur laudes tuas in portis æternalibus  
nuntiare.

LXXIII. Creator omnium elementorum,  
Domine, ante sæcula rex æterne, memen-  
to gregis tui, quem effusione cruoris proprii  
redemisti, atque omnium te quærentium vo-  
ces propitiatus exaudi.

LXXIV. Pastor bone, qui propter mor-  
talium ovium redemptionem hausisti calicem  
passionis. Nomen tuum supplices invoca-  
mus, Ut nos super columnas sapientiæ sta-  
bilitos, septiformis Spiritus sanctificatione  
confirmes.

LXXV. Cogitationibus te confidentibus  
effectum largire terribilis Deus, ut a mentibus  
æternis inluminati, dum resurrectionis tuæ  
gloriam suscepimus futuri iudicii ignominiam  
caveamus.

LXXVI.

LXXVI. Mirabilium omnium operator immense, qui quondam aquas in aspectu tuo sistentes, deinceps in vinum mutasti. Te humiliter imploramus, ut post susceptam vocem clamoris nostri misericordiam nobis, quam nunquam oblivisceris, largiaris.

LXXVII. Refice nos mane spirituali alimento, opulentissime largitor omnipotens. Ut in sensum manuum tuarum directi, mereamur in montem adquisitum tua dextera glorari.

LXXVIII. Anticipa nos Domine misericordia tua priusquam Zelus iræ deseviat, ut adjuti patrociniis beatorum, quorum propter te sanguis effusus est, propitiatione tua peccatorum veniam consequamur.

LXXIX. Visita Domine vineam tuam quam de Ægypti tribulatione potenti dextera liberasti, ut respectu vultus tui vivificata bonorum in te fructuum libertate lætetur.

LXXX. Dilata Domine supplicum ora ad adnuntiandam gloriam tuam, ut Ægyptiis operibus retrorsum relictis, nominis tui confessione lætemur.

LXXXI. Da nobis Domine secundum præceptum tuum ab iniquitatis iudicio declinare, pauperumque necessitatibus subvenire, ut mereamur fidelium tuorum numero copulari.

LXXXII. Discute a nobis Domine, omnem superfluitatis errorem, ut relictis gentilibus

vitiorum, te solum, qui super omnem terram altissimus inhabitas metuamus.

LXXXIII. Tabernaculorum cælestium fundator æterne. Dispone quæsumus ascensus in cordibus nostris quibus ad tua tabernacula mereamur sine lapsu peccati conscendere.

LXXXIV. Remitte Domine iniquitatem plebis tuæ & ostende nobis misericordiam tuam, quæ nos in viam pacis iustitia præcedente perducatur.

LXXXV. Lætifica Domine vultum familiæ tuæ, & erue animas nostras ex inferno inferiori, ut tui vultus contemplatione protecti desideria carnis spiritali dominatione calcemus.

LXXXVI. Fundamentum fidei nostræ Deus, qui in mentibus sanctis tamquam in excelsis montibus æternitatis portas iustitia muniente componis, concede nobis te gloriose credere, teque ad redemptionem animarum nostrarum hominem factum prædicabiliter confiteri.

LXXXVII. Redemptor omnium ineffabilis, & salutis nostræ Deus qui pro nobis inferna penetrans factus es inter mortuos liber, exaudi matutinam precem, miserere Domine familiæ & erue nos ab inimici insidiantis pessima servitute.

LXXXVIII. Erue Domine animas nostras de manu inferni qui pro nobis inferna fortiter con-

confregisti. Ut tuas misericordias decantantes & a confusione criminum & a morte perpetua liberemur.

LXXXIX. Luciflui Syderis fator omnipotens Deus, qui novam mundo lucem fugata nocte restituis, satia nos quæsumus misericordia tua remittente. Ut omnes peccatorum obscuritates, te inluminante pellantur.

XC. Præsta nobis Domine per invocationem nominis tui aspidis & basilisci lethalia venena calcare. Ut ostenso nobis salutari tuo adversus insidias inimici, Spiritualis clipei umbraculo muniamur.

XCI. Exultatio æterna sanctorum Deus, qui justis bonorum diversis refertis impendulis florere palmiferis atriis inmarcescibiliter facis, quæsumus ut remissis molibus delictorum eorum nobis societatem dignanter impertias.

XCII. Domine omnipotens qui paterna præcinctus virtute cælum, mare terramque locasti, exaudi supplices tuos, & da credulitatem in testimoniis tuis, indue nos fortitudine & decora sanctificatione.

XCIII. Erudi nos Domine benivolentia legis tuæ & esto nobis in tribulatione refugium, qui homini prudenter insinuas, scientiam ne delinquat.

XCIV. Salutare eximium omnium populorum Domine, respice propitius super oves gregis tui eisque impertiens sal prudentiæ in-

troducere easdem innoxias sempiterna digneris in requie.

XCV. Factor cæli terræque creator Deus quem omnis terra cantici novi modulatione (g) persultat, præcamur ut sicut te a ligno regnantem supplices confitemur, Ita amisso omnigentilitatis errore, futuri adventus tui gloriam intentis sensibus sentiamus.

XCVI. Custos animarum sanctarum cuius regnum est pars perfecta iustorum concede propheticas evangelicasque coruscationes pectoribus nostris inseri, & si quid obtectum velamine prisco reperitur Spiritu sancto revelante pandatur, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum.

*Deficiunt nonnulli seqq. usque ad*

CIII. Inclite omnipotens, qui fructu locuplete terram aridam satiaisti. Da nobis Spirituali mente ascensum tuæ gloriæ contueri, ut dum Te in cælis suspicimus, illa quæ sunt super cælestia meditemur.

CIV. Invocantes nomen tuum, Domine, deprecamur, ut qui patribus nostris virtute tui nominis præeunte angelicis partibus refecisti, nos quoque mysticis dapibus foveas ac reformes.

CV. Memento nostri, Domine, in beneplacito, populi tui, & a peccati nos servitute discussos salutaris tui visitatione salvifica.

CVI.

(g) lege per senat.

**CVI.** Confitemur Domine misericordias tuas, quas jugiter circa nostras exerces inopias, precantes ut qui exaltatus in ecclesiis resides ad dexteram patris in throno, nobis tantæ miserationis & intelligere & custodire concedas archaam.

**CVII.** Præpara tibi Domine cor nostrum ad confitendum nomini tuo, ut te intelligentes surrexisse diluculo, illic tendamus merito, quo tu victor elevatus es in regno.

**CVIII.** Unicæ obsecrationis Deus, qui maledictioni subjacere dignatus es, ut nos à maledicto legis erueres, ut faciens nobiscum misericordiam propter nomen tuum, digneris nos & à persequentibus vitiis, & à malorum obtreclationibus liberare.

**CIX.** Ante luciferum genite, qui es ante principium totius creaturæ, rogamus & quæsumus ut sicut tuos inimicos ad dexteram residens patris pedibus subiecisti. Ita nos tuis officiis dignos habeas ablata dominatione peccati.

**CX.** Sanctorum omnium gloriosa confessio Deus, tribue nobis timorem nominis tui quod esse initium sapientiæ prædixisti, ut tuorum commixti conciliis misericordiæ tuæ dapibus saginemur.

**CXI.** Lumen perpetuum rectorum cordium Deus. Concede nobis te diligere, tua gloria jucundari & sic dispergere in hoc seculo, ut caveamus auditum asperum in futuro.

CXII. Laudantes benedictum nomen tuum omnipotens Deus. Rogamus ut nos in sinu matris ecclesiae collocatos, caritatis tuae facias stabilitati connecti.

CXIII. Ineffabile nomen trinitatis, Deus qui fluentia Jordanis aspectu tui luminis terruisti, praesta ut quos ablutos Sacro baptis- mate renovasti numquam patiaris (h) a vetitis simulacrorum idolis maculari.

CXIV. Ablutor peccaminum, Domine, qui animam te fideliter invocantem veloci- ter consolaris. Rogamus ut nos a periculis inferni erutos in regione vivorum ablata pec- cati morte restituas.

CXV. Talis sit quaesumus domine vita sup- plicum, sicut est in conspectu tuo pretiosa (i) sanctorum, ut a vinculis peccati liberi mereamur futurae hierusalem gaudiis perli- bari.

CXVI. Omnipotens dominator, qui om- nium gentium ore laudaris, praecamur, ut dilates in veritate tua mentem nostram & confirmes super nos misericordiam tuam.

CXVII. Consolatio tribulationum no-  
stra-

(h) Ex his verbis colligerem, has preces compositas esse temporibus Caroli M. quibus ille etiam pu- blicis concilii Francofurtensis decretis & libro sin- gulari, de quo antecedente fasciculo actum est, se vetitis simulacrorum idolis tam fortiter opposuis-  
T. d. H.

(i) Adde *mers.*

strarum, piissime domine qui justorum tabernacula lætitia & exultatione perfundis, exalta Ecclesiam tuam virtute potentis dexteræ, qua fiat porta justitiæ, & ita se angulari stabilitate connectat, ut tua resurrectione clarificata refulgeat.

CXVIII. R. Non me derelinquas usque quaque domine famulum tuum, quique me in tentatione erudis, quæso ut in cuncta virtute confirmes.

2. Domine, quasi in omnibus viis tuis delectemur, neque quicquam nobis deesse, (k) credemus, cum te nobis adesse cognoscimus.

3. Concupiscat anima mea domine desiderare judicia tua in omni tempore, & hoc solum nobis vigeat in amore quod & (l) æterni præparetur in munere.

4. Viam iniquitatis amove à me famulo tuo domine, & de lege tua miserere mei. Ut & peccandi consuetudinem tollas, & recte vivendi perseverantiam tribuas.

5. Averte oculos meos ne videam vanitatem, in via tua vivifica me. Servo tuo (m) Odire sæculum & diligere exemplum, per ipsum redemptorem nostrum

1. Veniat misericordia tua domine super

Zz 4

servo

(k) Lege credimus.

(l) Quid si legas, quod & æternum proponitur in honore?

(m) Lege, Davidse.

seruo tuo, ne me (n) ira deserviat. Habemus (o) in remedium salvatoremque propiciaculum.

i. Spem, quam dedisti mihi domine ipsa sit in humilitate mea famulo tuo consolatio, quæ mihi erit & in exultatione gloriæ plenitudo.

ii. Portio mea Domine, da mihi custodire legem tuam seruo tuo. Ut tu sis mihi hæreditas mea quam sine fine possideas.

iii. Disciplinam & scientiam doce me domine servum tuum, ut nec malitia asperus, nec desidia remissus, nec stultitia reddar ignarus.

iiii. Fiat cor immaculatum in tuis justificationibus, domine (p) famulo tuo, ut nec intelligentia prava me polluat, nec dispositio finis confundat.

v. Non deficiat in salutari tuo anima mea, domine seruo tuo. Sed desiderio indefesso proficiat exuberante gratiæ dono perceptura consolationem in premio.

vi. In æternum domine permanet verbum tuum in cælo, & in ecclesiæ tuæ semper in habitat templo, ut habitatoris præsentia habitaculi sit claritas indefessa.

vii. Dona mihi domine famulo tuo sic legem tuam diligere, ut eam jugiter mediter in corde,

(n) Lege, ne in me ira deserviat.

(o) Lege, enim.

(p) Omissum Da.

de, & accepto tibi semper proficiam in opere.

3. Sit lucerna pedibus meis domine verbum tuum, domine servo tuo & lumen semitis meis, ut quod intellegamus instruat, & quo properemus ostendat.

4. Auxiliare mihi domine, famulo tuo & salvi erimus; te enim desistente perditio & te præstante vitalis est plenitudo.

5. Doce me domine iudicium & iustitiam facere, ut non tradamur aduersis, nec calumniantibus subdamur iniquis. Sed eloquia tua intentis mentibus diligentes, ab omnibus malignis eripiamur insidiis.

6. Rivos aquarum deduxerunt oculi mei domine qui legem tuam vetita concupiscendo transgrediunt. Unde quæsumus ut per eos crimina abluamus per quos peccata commisimus.

7. Ignitum verbum tuum domine diligamus, quod in nobis & peccatorum sordes detergat, & scientiæ lumen accendat.

8. Vocem meam exaudi domine secundum multam misericordiam tuam, ne in iudicio me condempnes, ut reos. Sed pius ac misericors remuneres ut beatos.

9. Miserationes tuæ multæ domine plurimas in nobis iniquitates deleant, & ad indulgentiam tuam nos emendando perducas.

10. Pax multa diligentibus nomen tuum domine, & non est in illis scandalum. Præsta

ne ullis umquam cogitationibus perturbentur, qui amore tuo nihil in hoc mundo preposuerunt.

n. Palma totius bonitatis, domine, qui fideles tuos, ut in lege tua ambulent, testimonia scrutentur, mandata custodiant, Salubris provisor informas. Concede nobis justificationes tuas toto corde quærere, eloquia intelligere, mirabilia prædicare, ut qui hæctenus ceu perditæ oves erravimus (q) apes piis humeris restituti, paradiso gloriamur.

CXIX. Tribulationum nostrarum optime mitigator, Deus libera animas fidelium à labiis detrahentium iniquorum. Ut adjutoriis spiritualibus præmunite, nullis impugnationibus adgraventur.

CXX. Protege plebem tuam non dormitans neque obdormiens domine Deus protector Israhel, & ne uramur per diem tu nos ab scandalis hujus mundi defende.

CXXI. Ambulantibus in atriis domus tuæ omnipotens domine pacis abundantiam largiri dignare. Ut dum te tota aviditate cordium confitemur, bona tua in celestibus capiamus.

CXXII. Cœlorum habitator Deus ad te levamus oculos nostros, præcantes ut confutatis obprobriis superbiorum, misericordiam nobis solitam clementer indulgeas.

CXXIII.

(q) *Lege; in pastoris.*

CXXIII. Conclude domine hiantia ora malorum quæ sevis obtrectationum dentibus vorare nituntur, ut qui de nostra virtute diffidimus, nominis tui adjutorio muniamur.

CXXIV. Repelle Domine nequitas insurgentium à sorte justorum, & qui in te toto corde confidunt, nullis temptationum imbribus quatiantur.

CXXV. Consolare Domine populum tuum & libera nos à captivitate pessima vitiorum ut quod hic in lacrimis serimus, te retribuente cum gaudio metamus.

CXXVI. Domorum spiritualium ædificator Deus, ut nos custodias deprecamur, imple in te desiderium nostrum, ut electis tuis nos adjungi præcipias.

CXXVII. Timentibus nomen tuum domine beatitudinem largire perpetuam, ut talis nobis actio talisque sit vita quæ celsum de bonis fructibus meritum reportet ad sidera.

CXXVIII. Ab omnium impugnationum nequitiis ecclesiam tuam domine dexteræ tuæ protectione defende, ut inimicis retrorsum conversis, sacris à te benedictionibus repleatur.

CXXIX. Intendat quæsumus domine pietatis tuæ auris in oratione supplicum, quia apud te est propitiatio peccatorum, ut non ob-  
ser-

serves iniquitates nostras, sed impertias nobis misericordias tuas.

CXXX. Ne permittas nos exaltare in superbiis sæculi omnipotens pater. Sed qui mitis es & humilis corde, doce nos humilibus tibi placitis moribus consentire.

CXXXI. In omni ingressu nostro memor esto nobis omnipotens Deus. Indue nos sacerdotali justitia, ut induci mereamur in tabernacula sempiterna.

CXXXII. Infunde domine in Ecclesiam tuam caritatem fraternitatis & pacis, ut rore spiritualis unguenti aspersi benedictionis tuæ gratia jocundemur.

CXXXIII. Benedicentes te omnes servi tui domine deprecamur, ut nos mundi hujus nocte contactos inluminare digneris, quatenus dum manus nostras in bonis operibus elevamus, benedictionem à te largissimam consequamur.

CXXXIV. Suavitas eximia, Deus, quem omnis terra pro dulcedinis benignitate conlaudat, rogamus, ut ablato à nobis vanæ superstitionis errore, tuis voluntatibus (r) connectemur.

CXXXV. Memor humilitatis nostræ miserere nobis omnipotens Deus & qui quondam patribus nostris terram adversariorum in hereditate donasti, nos à peccati macula liberatos in tua hereditate constitue.

CXXXVI.

(r) Lege, condelectemur.

CXXXVI. Captivitatum nostrarum potentissime absolutor. Concede nobis laudes tuas spiritali canere concentu. Ut (s) quod onus te facit noxa exules, allevatio potentis dextera cæli restituat cives.

CXXXVII. Multiplica Domine virtutem tuam in animabus supplicum, ut dum te in templo sancto jugiter adoramus, in conspectu tuo cum sanctis angelis gloriemur.

CXXXVIII. Cæli terræque protector Deus quo moriente inluminata sunt tartara, quo resurgente sanctorum est multitudo gavisata, quo ascendente angelorum exultavit caterva, præcamur tantæ gloriæ excellentem virtutem, ut directi in via æterna illo tueamur brachio, quo honorabiles amici tui tecum gloriantur in cælo.

CXXXIX. Virtus salutis nostræ Deus defende ecclesiam tuam, ad dissidentium venena mortifera, ut à te obumbrati, numquam obligemur à laqueis inimici.

CXL. Pone Domine custodiam ori nostro, ne inania proferamus, ut misericordia tua correptis ab omnibus iniquitatum scandalis protegamur.

CXLI. Deprecantes Domine voce humili majestatem tuam exposcimus, ut adjuti à te spei nostræ portionem cum electis tuis in terra viventium fortiamur.

CXLII.

(s) Lege, quos omnis a facit noxa exules.

CXLII. Deus qui matutinam sacrae resur-  
 rectionis tuae auditam fecisti jocunditatem.  
 Cum ex inferno rediens replesti terram gau-  
 diis quam reliqueras in obscuris, Rogamus  
 potentiae tuae ineffabilem Majestatem ut sicut  
 tunc catervam Apostolicam gaudere fecisti  
 sacram in extasi. Ita hanc Ecclesiam tuam  
 misericordiam expansis manibus flagitantem,  
 splendore caelestis jubaris inlustrare di-  
 gneris.

CXLIII. Duce nos domine spiritualibus  
 armis noxialibus culpis resistere, ne vanitati  
 mundanae subjecti, a tui juris dominatione  
 pellamur.

CXLIII. Regnator saeculorum Domine  
 qui spiritalem tibi omni animae opportuno  
 ministras in tempore, concede nobis a te  
 perpetualiter benedicere tua potentia cum  
 electis tuis fiducialiter exultare.

CXLV. Glorioso omnipotens Deus in  
 quem beatorum animae totam spei confiden-  
 tiam ponunt, Concede nobis ut adjutorio  
 tuo inluminati, valeamus te jugiter (t) pu-  
 ra diligere.

CXLVI. Aedificator caelestis Hierusalem  
 Deus qui multitudinem stellarum, & conclu-  
 dis numero, & nominatim singulas vocas,  
 sana quaesumus contritos corde, dispersos  
 congrega, atque nos in numerabili sapientia  
 tua locupletare.

(t) Lege. *mente*.

CXLVII.

CXLVII. Conforta Domine portas ecclesie tuæ, & pone terminis ejus pacem, ejusque adipem spiritualis tritici dignanter attribue.

CXLVIII. Excelsorum edium supereminentens & excelsa potestas Deus. Concede famulis tuis ut sicut cuncta quæ cernimus, te jubente creata sunt, ita quæ præcipis te custode serventur.

CXLIX. Auctor totius bonitatis Deus qui omnem mansuetudinem te humiliter confidentem exaltas, præsta ut sicut sanctos exaltare facis in gloria ita præsentem ecclesiam custodire digneris ab hujus sancti delectationibus inpollutam.

CL. Armonia nostræ suavissimum melos, qui nostri pectoris modulamina, nunc fletibus precipis exercere, præsta ut dum illa spirituali affectu concinnimus, perpetualibus choris inserti, te cum sanctis omnibus conlaudemus.

Illustris Gymnasii BER-  
NENSIS, ejusque  
*Bibliothecae Mo-*  
*derna facies.*

**M**agna semper Illustr. Reip. BER-  
NENSIS Procerum fuit cura in eli-  
gendis & constituendis Gymnasii  
sui Professoribus; Hinc non ob-  
scura Ecclesiae Scholæque Bernen-  
sis nomina inde à Reformatæ fidei assertionem ad  
nostra usque tempora conspicienda veniunt,  
suos enim Schola hæc habuit Halleros, Mu-  
sculos, Aretios, Rutimejeros, Fabritios, Lu-  
thardos, Hummelios, Hybernos, aliosque  
nomine & scriptis claros. Miro vero ac in-  
fausto fato ex aliquo tempore jactatum vi-  
detur hoc Gymnasium. Totum enim, ple-  
risque defunctis, Professorum corpus intra  
triennium fere mutatum est; Fato enim ces-  
sit Cl. *Rodolphus*, A. 1718. de quo vide Cl. II.  
Fasc. II 352. Nec multo ante præcesserunt,  
*Samuel Hallerus* Ling. Hebr. & Theolog.  
Catech. Prof. ut & *Daniel Gerberus*, præce-  
dentis successor. Eadem lethi serie extin-  
ctus est, nuper *Elifæus Malacrida*, Cl. *Ro-*  
*dolphi* in Cathedra Theol. Did. Successor. &c.  
Nunc

Nunc autem in eo Gymnasio docent.

*Jacobus* HORTINUS, Bernas, SS. Theol. Didact. Prof. natus die 14. Nov. 1662. cujus legi merentur. Oratio Inauguralis *de Viro Dei* habita A. 1718. dissertatio Theol. de usu rationis in Theologia 4. Bernæ 1720.

*Job. Fridericus* BENOIT, Bernas, natus die 22. Octob. 1671. Ad Cathedram Philosophicam vocatus die 14. Junii A. 1701. ejus extant *Theses Miscellaneæ ex Philosophia* in genere & nonnullis disciplinis in specie, Bernæ 1703. Triga Orationum Solennium von dem Ursprung/ Wachsthum und höchsten Endzweck der Wissenschaften. Bernæ A. 1709. in 4. Thesisum Philol. fasciculus A. 1712. Dissertatio Ontosophica *de bono & malo*, a. 1712. Theses Philol. varii argumenti. 1715.

*Joh. Henr.* RINGIER, Zoffingâ Bernensis, natus die 19. Jun. 1668. ad Cathedram linguæ Græcæ, Ethicam vocatus 1715. ad Cath. Catech. A. 1718. ad Cath. Theol. Elencht. 1720. extat ejus dissert. *de Typis Antichristi*, quæ prodiit Bernæ A. 1699. recusa Amst. 1709. & de consensu Protestantium in doctrina de *predestinatione*; Bernæ, 1720. in 4.

*Samuel* SCHEURERUS, Bernas, natus 1685. ad Prof. Eloq. & Hist. vocatus A. 1709. Annos 1717. & 1718. transegit in itinere Academico, quod jubente Amplissimo Magistratu & Acad. Præcibus cum Celeberrimo *Ise-lio*, Basileensi, instituit per Galliam, Angliam, Class. VI. Fasc. IV. Aaa Bel-

Belgium, & Germaniæ partem ad statum coram oculis usurpandum externarum Ecclesiarum, Academiarum, Bibliothecarum, commerciumque literarum habendum cum Viris solide doctis & magnis. Clarissimo Ise-lio ex Gallia in patriam revocato, ipse Parisiis ad Anglos transfretavit, qui eum post aliquod commorationis inter ipsos tempus, quod inter Londinum, Oxonium, & Cantabrigiam dispertitus est, primum Societatis ejus, quæ privatim in ædibus Excellentissimi Bonneti, Regis Borussia Legati convenire solebat, deinde rogante Nobilissimo Chamberlainio, Armigero Regg. Soc. Anglico & Berol. Socio, ejus, quæ a promovenda Christiana cognitione intra illud regnum splendidissimum atq; etiam extra in partibus Malabaricis aliisque non habet, altero dein mense rogantibus, Viris Ill. Isaaco Newtono, Edmundo Halleyo, cujus familiaritate hic noster utebatur præprimis Oxonii agens ejus convictor, & Nobil. Molineux, Principi Walliæ à secretioribus consiliis & epistolis Societatis Regiæ, quæ pro objecto habet promovendam cognitionem rerum naturalium, denique & ejus itidem Regiæ, à Regina quippe Anna A. 1700. stabilitæ, quæ dicitur de propagando Evangelio in partibus Transmariis Americanis rogante Amplissimo Archipræsule Cantuariensi socius allectus fuit ad juvandum Veritatis Scientiarumque divinarum & humanarum augmentum, Inde

de invisit Academias Belgicas Virosque inibi graves & celebres. Per Germaniam in patriam reditum instituit, quem secutæ sunt grates Publico nomine decretæ & actæ vel Illustrioribus personis vel integris societatibus & Academiis. Ex itinere Academico redux sub finem anni 1717. vocatur ad Ethicam Sacram sive Theol. Moralem itemque Veteris Testamenti ac Linguae Sanctæ Professionem, cui priori spartæ suffecta est A. 1720. Cathedra Theol. Catechetiæ.

Extat ejus Oratio solennis. Von dem Mißbrauch der Wissenschaften in 4. Bern 1716. commentarium exegeticum in Mal. I. II. sub ejus præsidio defendit Henr. Ruetschi, Pastor nunc Leninensis in agro Brandeburgico. Bernæ, 4. 1721.

Item disquisitio Philologica de nomine MOSIS & Ægyptiaco & Hebraico Bernæ, 4. 1722. Prælum nunc subit ejus Rizologia Hebraica, qua genuina plerarumque vocum Hebr. emphasis ex Hebræa & aliis linguis eruitur & Hebraismus ratiocinans ostenditur. Basil. in 8. Ad prelum parantur Onomatologia Divina. I. Tractatus de nominibus Dei in 8. S. occurrentibus Philologicus & Practicus. 4. item Hermeneutica Decalogi Sacra s. Veterum Hebræorum XIII. Christianorum item plurium regularum Legis Divinæ Hermeneuticarum contractio in duas ad Decalogum applicata. 4. *Kizzur Targumim* s. Compendium.

dium Paraphrasium Chaldaicarum exhibens ea tantum loca, quæ à Textu Hebræo discrepant, eive lucem aliquam affundunt. Item parile *Compendium Novi Testamenti Syriaci*, ut id quod harum Paraphrasium est utile, minori & temporis & laboris ac sumtuum impendio haberi possit. Item *Somnium Judaicum*, quod pro inauguranda Cathedra Hebraica publicè proposuit. *It. De Sacerdotum*, 1. qualitatibus & requisitis 2. distinctione 3. functionibus & laboribus, opibus & redditibus Commentarius in 4. item *Gemini Soles in Cælo Judaico* s. refutatio duplicis Messiaë Jud. in 4. item de *Keret* s. pœna excidii ex lege Dei Divina an humana disquisitione in 4. *It. de Delectu victimarum ad sacrificia*, de *Salomonis Polygamia* aliaque Theologici, Philologici mixtisque generis plura.

*Joh. Rudolphus a WALDKIRCH*, J. V. D. Basileensis, natus Anno 1677. Ad Juridicam Prof. primus vocatus Bernam Anno 1718. Extat ejus Dissert. Inauguralis de Fœnore nautico 1704. Basileæ hab. nec non tractatus de *Tortura* in lingua vernacula sub tit. *Die ges rechte Folter-Banck*. Bernæ editus Anno 1710. Edidit quoque in lucem Annotata atque exempla illustrantia in Samuelis L. B. de Puffendorff libros 2. de officio hominis & Civis impressa. Anno 1711. Basileæ. Quin & *Compendium Historiæ universalis a mundo condito usque ad annum 1718*. Item *Histo-*  
riam

riam Politicam Fœderum Helveticorum in lingua vernacula conscriptam sub tit. Eydgnöſſſche Bunds- und Staats-Historie 2. Theile in 8. Basel. 1721.

*Johannes Rodolphus SALCHLINUS*, Zoffinga-Bernensis, natus 1688. ad Cath. Græco-Ethicam vocatus Anno 1720. ejus extat. Idolomania & Rabdomantia Antichristiana sive: Dissert. Historico-Theol. in Hof. IV. 12. Ed. Anno 1715. nec non Dissert. in locum Hebr. III. v. 1. Quo sensu Jesus Christus dicatur  $\lambda\pi\sigma\alpha\lambda\theta\epsilon\iota\kappa\alpha\ \alpha\rho\chi\iota\epsilon\rho\upsilon\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \alpha\mu\omicron\lambda\omicron\gamma\alpha\varsigma\ \eta\mu\omega\iota\ \text{?}$  1722. 4.

*Jacobus LAUFFERUS*, Zoffinga-Bernensis, natus Anno 1618. vocatus ad Cath. Eloq. & Hist. Anno 1718. Ejus extat Atheus amens, Amst. Anno 1714. Dissert. de spoliis Deo sacratis & sacrandis, Bernæ Anno 1717. Prælectio Litteraria; Quis sit vere Litteratus? Cum Eloq. & Hist. auspicaretur Professionem hab. Anno 1718. Dissert. contra Librorum multorum abundantiam eorumque auctores. Bernæ. Anno 1722. Tractatus Hist. Philos. de fontibus superstitionis, MSS. Item Geographia vetus & nova cum tabulis æneis prodibit Amst. in 8.

Melchior DURINGER, natus Anno 1647. mense Aprili, promotus ad S. S. Ministerium Anno 1667. ad Professionem Historiæ Ecclesiasticæ & Chronologiæ Anno 1701. edidit varias theses Chronologicas in 4. Bernæ.

*Job. ALTMANNUS*, Zoffinga-Bernensis

natus Anno 1664. post aliquod munera Ec-  
 clestiastica in agro Bernensi obita ad Gymna-  
 siarchatum in urbe vocatus Anno 1711. Opu-  
 scula ejus edita sunt. Wohlgemeintes Send-  
 schreiben an die so genanten Pietisten in der  
 Evangelischen Kirchen Anno 1700. in 8. Neu-  
 gebahnter Weg zwischen den Protestirenden zu  
 einem Evangelischen Kirchen-Frieden/in 4. 1705.  
 & 1722. Moses und Aaron unter dem neuen Tes-  
 tament/ oder Evangelisches Staats- und Kir-  
 chen-Regiment in 8vo. Anno 1709. Der eini-  
 ge Weg des Heils durch den Glauben an  
 Christum über die Worte Tit. 2: 11. 12. 13.  
 in 12. Anno 1710. Catechetischer Leuchter und  
 Rauchwerck/ oder Erklärung und Gebett über  
 den Heidelbergischen Catechismus/ in 8. Anno  
 1710. Christliche Religions-Gespräch 1. 2 Theil  
 in 8. Anno 1710. Genuina Analysis oder na-  
 türliche Zertheilung der Fragen des Heidelber-  
 gischen Catech. in 8. Anno 1710. Analysis  
 Theol. Scripturariæ oder kurzer Begriff der  
 ganzen Religions-Lehr nach Ordnung der H.  
 Schrift vorgestellt / in 8. Bernæ Anno  
 1710.

Athenæum ergo sive Gymnasium illustre  
 Bernense in Academia Justæ mensuram &  
 modum exsurrexit, in qua Superiores Facul-  
 tates omnes cum artibus publice jam docen-  
 tur, quamvis de cætero gradus hic non con-  
 ferantur nec expetantur. In Theologia er-  
 go est 1. Cathedra Didactica. 2. Cathe-  
 dra

dra Elenctica. 3. Cathedra Catechetica, cui juncta est explicatio Veteris Testamenti, Linguae S. & Philologiae S. 4. Cathedra Moralis, cui juncta est cathedra linguae Graecae & Philologiae Novi Testamenti. In *Jure* docetur Jus naturae & Gentium, ut & Civile & Publicum. In *Medicina* ex decreto amplissimi Magistratus inde a triennio constitutum est, ut ex 6. Medicinae Doctoribus, qui publico stipendio fruuntur, ut aegrotantibus in urbe praesto semper sint, tres posteriores publicas etiam Lectiones habeant atque dissectiones anatomicas, quod fieri quidem coepit, exactius autem fiet post absolutum splendidum Nosodochii publici aedificium, qui aptissimus uti lectionibus, ita maxime dissectionibus Anatomicis locus: Habent praeterea Medicinae & Chirurgiae studiosi amplissimam proficiendi materiam in hoc ipso sat amplo Nosodochio, in quo quippe quotidianae sunt desperatissimorum morborum curationes & operationes Anatomicae ac Chirurgicae.

Hi tres Medicinae Doctores ac Professores sunt sequentes ordine. I. *Wolfgang CHRISTIANUS*, Med. Doctor, Bernas, natus Septembr. 1680. Creatus Philos. & Med. Doctor in Universitate patria Basileensi vergente anno 1702. honoratus titulo Consil. & Med. Reg. Boruss. & stipendiatus Medicus Provincialis Neocomensis Anno 1710. vocatus ad Physicatum Bernensem Anno 1713. Scripta

hactenus edita sunt Dissertatio de Naturæ Hu-  
 manæ inclinationibus & dispositionibus hære-  
 ditariis, 4to, Basil. 1701. Inauguralis de  
 Principio vitali, Basil. 4to. 1702. Lexicon  
 Medicum. 8. Bernæ. 1707. Compendium  
 Materiæ Med. Ludovicianæ 8. ibid. 1708.  
 Manes Bagliviani inserti Ephemeridibus Na-  
 turæ Curiosorum. Anni 1720. Dissertatio  
 de Minera Martis Cinnabarina. 4. Bernæ  
 1721. Vorschlag zu Bauung der Schweizer  
 Erzen. 4. ib. 1722. Observationes de usu  
 medico Auri, oder Medicinische Gold-Grube.  
 4. Bernæ. 1716. Inedita. Observationes  
 rariores Medicæ, Philosophicæ, Chymicæ,  
 Anatomicæ, Chirurgicæ. Prælectio de Va-  
 riis Medicis, habita loco speciminis ad Pro-  
 fessionem & Physicatum patrium 1713. alia  
 sub titulo Fili Ariadnæi in labyrintho Lapidis  
 Sophorum, facta in Athenæo Patrio. 1716.  
 II. Emanuel Gruber, Med. D. creatus Basileæ  
 Anno 1710, III. Samuel Stek, Med. D. creatus  
 Lugdun. Bat. Anno 1711. In artibus Phi-  
 losophiæ, Physicæ, Logicæ, & Matheſis pu-  
 blice traditur.

Præter Hebræam & Græcam Linguam  
 utriusque Testamenti Philologiam S. quæ ob  
 nexum cum Theol. & sacris cathedris Theol.  
 junctæ fuerunt, eloquentia Latina, antiquita-  
 tes Romanæ, Poësis & Historia universalis pu-  
 blice docentur. Historiam Ecclesiasticam pu-  
 blice docet supra memoratus ejus Professor

extraordinarius. Matheseos porro elementa docet *Johan Jacob Kuenzi*, V. D. M. Scholæque inferioris moderator. Tandem & Musica tam vocalis quam instrumentalis traditur. Id vero in more Academico positum est Bernatibus, ut quoties vacat Cathedra aliqua, publice id notum reddatur, ut quicumque pro ea consequenda specimina edere volunt, possint. Materiam tum prælectionum habendarum, tum quæstionum defendendarum a Rectore Magnifico sortito præscribuntur, de speciminibus autem peractis judicant Procures Academici utriusque ordinis & Ecclesiastici & Politici viginti, quemque optimum dignoscunt, eum electum Amplissimo Magistratui confirmandum proponunt: Occasione harum disputationum, pro Academia & Bernensi & Lausannensi haberi solitarum acerrimæ aliquando oriuntur digladiationes litterariæ inter competitores æmulos.

Quod vero ad BIBLIOTHECAM publicam attinet parva primum fuere initia, in auspiciis & velut operis fundamentum transumptis e Monasterio Portimontensi & aliunde codicibus, vetustate & squalore horridis, quos Pontificiæ superstitionis retrimenta, Hierarchiæque documenta verius, quam solidæ & sanæ doctrinæ monumenta dixeris. Seculo deinde superiori ad finem vergente aliqua illi facta accessio ex Venerandæ memoriæ *Mæxigis D. Joh. Fædmingeri*, primarii quondam

dam urbis Ecclesiastæ & Classis Decani, testamento, quo præter stipendia scholastica Ministrorum filiis ad sacra adspirantibus legata, etiam supellectilem suam librariam Bibliothecæ Civicæ addixerat. Ex tenuibus istis rudimentis lenta admodum & ferme insensibilia illi fuere incrementa, libris cum raro coemptis, quos usus scil. maxime postulaverat & Bibliothecis privatorum forte venum expositis, casus obtulerat; tum vero rarius donatis: quasi tum temporis nullum impendii genus perire magis suis crederetur authoribus, quam quod in libros præsertim Bibliothecis, occlusis ingeniorum conditoriis, donandos erogatur: donec nobilissimus Vir, *Jacobus Gravissetus*, Dominus in *Siebeck* / anno seculi elapsi supra quinquagesimum nono non incelebrem illam Bibliothecam, a *Dn. Jac. BONGARSIO* a *Boudry*, Aurelia oriundo, Religionis Ref. inter Gallos assertore gravissimo, Magni illius *Henrici IV. Galliarum Regis* Consiliario, legationibus ad fœderis regii Socios, & peregrinationibus ad Europæos Principes ac ipsum etiam Muhammedanum Asiæ Dominatorem celeberrimo, Viro denique omni literatura sacra, philologica, historica excultissimo, & passim contracta cum doctis familiaritate notissimo, instructam, sumpremaque authoris voluntate ad se devolutam, *Illustriss. Reip. Bernensis Proceribus*, egregia consilii prudentia, instituti pietate, &

& meriti amplitudine, donum publicis usibus destinandum, eaque propter Bibliothecæ Civicæ adjungendum, obtulit: donum profecto Amicis vix ulla laude satis prædicandum, hostibus invidendum. Enimvero non ambitiose, sed ex vero hæc nobis celebrari sentiet, quisquis doni divitias vel errante oculo intuebitur, thesaurum hinc MSS. codicum, quibus è raritate, antiquitate & numero pretium non nisi rerum istiusmodi prudentibus æstimandum: inde librorum typis vulgatorum copiam tantam, ut Civicam hætenus propemodum altero tanto superaret. Manuscriptorum numerus quingentiarum jam eo tempore excefferat. In his conspiciuntur, hætenus nostratibus non visa. Bibliorum exemplaria Hebraica, Latina &c. venerandæ antiquitatis; Patrum atque Ecclesiæ Doctorum priscorum scripta satis multa; Medicorum, Juristarum, Philosophorum, Philologorum, Grammaticorum & Authorum Classicorum opera plura & variæ scriptiois, Historiarum monumenta rara; Liturgica item, Synodica & alia Græcæ, Latinæ, Gallicæ diligentia à priscis reservata scripta, variis accommoda usibus. Atque hæc pleraque in membranis diverso voluminis modulo exarata. Hebraicorum MSS. mantissam addidit Dn Sam. Hortius, literariæ antiquitatis amatissimus. Libros deinde typis descriptos quod concernit, evolventi catalogos dubium

videri possit, majorne Dn. Bongarsio fuerit in colligenda libraria sua supellectile coacervandi cupiditas, an deligendi industria, an successus felicitas. Viro enim nobilissimo omnem istam laudem deberi & res ipsa & collectanea ejus MSS. Philosophica, Politica, Juridica, Medico - Chymica, Genealogica, Historica, Germaniam in genere, & varias ejus Provincias speciatim spectantia &c. abunde testatum faciunt. Adjumentum porro claritudinis haud exiguum conferunt librorum quorundam raritas & antiquitas; è Theologicis præcipue eorum, qui in ipso Papatu ante pluscula secula adversus Papisticam idolomaniam, intolerabilem hierarchiam luxuriamque abominandam scripti sunt: quorum memoriam jam pridem omninifit deletum ibant antiquæ veritatis hostes. Addo, antiquas & à primo typographiæ ævo optimi commatis authorum editiones: à doctissimis dehinc viris sub incudem sæpius reductas, lucubrationibus auctas, & à diligentissimis typographis nitide & emendate elaboratas, studiosius Bongarsio, quam forte aurum aliis, asservatas.

Deinde ante hos triginta circiter annos novum illi & minime spernendum incrementum accessit. Juvenis enim Patricius, Dn. *Wysius*, Patris quondam Senatorio Ordine, gestisque honoribus publicis clari filius, in novissimis bellorum motibus Sereniss. Sabau-  
de-

dorum Duci militaturus, præmissis juxta prudentiæ præceptum in omnia animo, ne quid improvisum accideret, factorum suorum quasi præsciis, testamentum in procinctu fecit: unde, postquam in acie ad Orbassanam Pedemontii occubisset, novissimo conditoris mandato constitutum intelleximus, ut quicquid librorum in bonis hæreditariis relinqueret, Bibliothecæ publicæ foret accessio, codicum numero octingenarium excedente opulenta.

Atque hæc quidem tametsi minime spernenda esset librorum copia, necdum tamen satis materiei congestum videbatur ad structuram, quam nonnulli harum rerum curiosiores animo formatam præceperant, neque quod indidem extrui posset opus, illi. Procerum magnificentia haud indignum futurum, votisque rem literariam juvandi ex æquo responsurum credebatur. Quapropter cum Illustr. Proceres quod de instauranda & adaugenda Bibliotheca Civica susceperant consilium, Senatui Academico X. Cal. Jul. M DC XCIII. rescripto significassent, Scholarchæ in eam haud segniter curam incubuere, ut quam optimam instruendæ & amplificandæ Bibliothecæ Civicæ rationem invenirent.

Verum quod in votis erat molientibus duo maxime obstare videbantur, necessitas sumptus non modici in reparationem conclavis &

armariorum faciendi, & laboriosum novæ librarium dispositionis opus. Et si enim locus, huic Musarum templo pridem delectus, situ editus, spatiis amplus, à turba semotus, soli utrique pervius, felicique *περιωπῆς* amœnitate vix ulli in urbe secundus esset, ejus tamen interiora haud immerito displicebant, muris ab una parte recentibus, necdum gypso incrustatis; contabulationibus vero hinc crudæ novitatis, inde tabidæ vetustatis vestigia præferentibus; pavimento & laqueari nulla arte & nitore sese spectatori probantibus; armariis transversim dispositis, eoque positu lucis quam plurimum intercipientibus; forulis ad codicum mensuram minime aut raro saltem conformatis, eaque propter crebris & dilucidis intervallis, inanitate vasta, totius Bibliothecæ decus atque ornatum turbantibus. Præterea, cum donationis lege cautum esset, ut libri Bongarsiani a civicis septo discluderentur, universus scriptorum apparatus, quanquam geminæ Bibliothecæ speciem præ se ferebat, attamen ne unius quidem nomen ex æquo implevit, eaque dispositio structuræ totius elegantiam & operis uniformitatem corruptit. Libri in catalogos suos dudum fuerant descripti, sed propter ædium vicina è ruinis suis restauranda, magnam partem armariis exempti & pulvere atque ruderibus diu quasi sepulti, pristinas sedes ignorabant, nec nisi tumultuariè  
in

in reconditoria, murorum ruinis ante convulsa, post novo coagmento utcunque refecta, cæca opificum manu reponerantur. Manuscripta quam plurima nondum satis argumento suo videbantur cognita, pleraque temporum injuria & vetustate deformata, tegmine vel nullo, vel certe situ, pulvere, blattis exeso, male munita. Ut adeo universa ferme librorum strues incondita verius & indigesta codicum moles, quam justa, ex ordine haud minus ac numero voluminum æstimanda Bibliotheca videri posset. His vitam dare atque famam, hæc confusa ordinare, magna industriæ, molestique laboris opus erat futurum.

Nihilominus ne successus spem desererent Scholarchæ, fecit Illustriss. Procerum Magnificentiæ, sumptibus in ædificii reparationem, haud parca manu suppeditatis;

Hinc armaria primum continua cum forulis suis ad parietes ab imo fere ad summum usque exstructa, & tabulario humiliori, quod grandiora volumina evolvere vel transcribere quid volentibus pro pluteo, arcendis promiscuis hospitem manibus pro sepimine, asservandis, denique quos futura forte tempora darent, libris pro reconditorio serviret, præmunita, intervallo quinque vel sex pedum illa & hoc discriminante, cætera non inamœnum circuitum præbente, & per tabularii medietatem valvis biforibus Bibliotheca-

carios, & quos illi voluerint, intromittente. Quæ quidem dispositio gratissimum, nec minus magnificum præbet spectaculum, universa propemodum Bibliotheca, ejusve magna parte, spectatoris in alterutra conclavis extremitate consistentis, vel per aream obambulantis, obtutui exposita.

His in usum suum paratis, libri Bongarsiani, non sine permissu eorum, quorum intererat, cum Civicis in unam massam confusi, (quasi materies novam receptura formam) mox pro facultatum & argumenti varietate, voluminumque modulo per forulos suos digesti, inscriptis titulis notati, & in classes indicesque descripti. Veterum Codices Manuscripti, novum acceperunt habitum, ut cum antea in luctu & squalore suo neglecti jacerent, nunc ipso cultu, spectatoris curiositatem provocare videantur. Insuper cum Bibliothecas signis & imaginibus ornari, teste Plinio, non novitium sit inventum; idcirco, ne nostra hoc etiam ornatu careret, Consularium, Doctorumque de Republica, Ecclesia atque Schola optime meritorum Virorum, imaginibus aliisque ornamentis, tabida vetustate corruptis, suis quoque ad ejus fieri poterat, restitutus est decor. Atque ab eo tempore & illustr. Procerum aliorum Præclarorum Virorum liberalitate quotidiana fere incrementa cepit, & magno numero Codicum pretiositate cœtuque egregio commendabilium insigni-

signiter in hunc usque diem aucta est, & augetur quotidie. Etiam MSSorum numerus valde excrevit, in quibus Bibliorum Latino- rum exemplaria membranacea, non ex operis tantum elegantia & antiquitate, verum etiam variantibus lectionibus ad marginem annotatis æstimanda. Dolendum saltem in uno illorum, cætera luculentissimo, nonnulla deesse folia, incertum casu amissa, an fraude exempta, in quam partem ut prior sit suspicio, facit locorum deficientium indoles: desunt namque ultima Matthæi, prima Evangelii secundum Johannem, ultimi capituli primæ Johannis Epistolæ pleraque &c. In auctuario MSSorum conspiciuntur etiam Alcoranus nitide descriptus, & alia quædam Arabica. Item Lexicon manuale Hebraicum, quod magnus Musculus olim, jam tricenario major, & apud Argentinam Diaconi officio fungens, in usum privatum elegantiori caractere conscripsit, non indiligenter auditis sacris prælectionibus Virorum doctiss. Capitonis & Bucerii. Adeo scilicet Virum strenuum jam in munere publico versantem, sed majoribus destinatum, non pudebat in Auditoriis publicis sedere discipulum. Adest ejusdem Syllabus vocum Arabicarum, quas, quadragenario propinquus, Augustæ Vindellicorum inter gravissimas S. Ministerii occupationes ex quinque linguarum Psalterio, Class. VI. Fasc. IV. Bbb opti-

optimi Symmystæ Bonif. Lycosthenis dono,  
in usum suum collegit.

Bibliothecæ addita alia multa & ornatui  
futura & usui, velut globi longissimi diame-  
tri, sphaera magna Braheana & Copernicana,  
generalis & particularis &c. Item Cimeliar-  
cheum, numismata habens aurea, magnam  
partem argentea, aenea, diversi moduli, plus  
minus mille quingenta, Romanae tum Con-  
sularis tum Imperatoriae, Graecæ, Gothicæ &c.  
antiquitatis *λειψανα*, prisca & recentioris ævi  
monumenta egregia. Accessere etiam non-  
nulla industriosa naturæ velut tentamina, ex  
regno animali & minerali petita, nec non  
antiquæ & superstiosa artis simulachra &  
Ethnicæ idolatriæ instrumenta, in quibus est,  
exempli gratia, signum Satyriacum, Fauna  
ære fusa, caudici defecto insidens, dextra ca-  
liculum, sinistra Fauniscum femori matris in-  
nixum tenens: in vicino viculo terram ex-  
cavantibus reperta. Item tauri sacrificialis  
adstantisque sacerdotis, victimam aspersione  
sive explorantis sive demulcentis, imago,  
itidem ære fusa, non ita pridem in agro Vi-  
diano, ubi quondam Arpentina, ad ripam  
lacus Lemanni, in districtu Lausannensi, lo-  
cum forte eruderantibus detecta: donum  
Bibliothecæ Bernensi à laudatissimo Lausan-  
næ Senatu dicatum, cui suum ex incorrupta,  
uti videtur, plus mille sexcentorum anno-  
rum vetustate, nec non è nitore operisque  
arti-

artificio pretium apud æquos æstimatores usque & usque constabit. Amplior ejus descriptio videre est apud Ven. Senem Joh Bapt. Plantinum in Helvetia antiqua & nova.



## VIII.

Brevis vitæ delineatio  
celeberrimi Theologi  
CAMPEGII VITRINGA P.

**C**AMPEGIUS VITRINGA, PATER, lucem primum aspexit XVI. Maji A. C. MDCLIX. Leovardiae quæ FRISIORVM Metropolis est. Patrem habuit Virum Spectatissimum HORATIVM VITRINGA. Is non optimam famam meritis duntaxat est probitate sua, sed & honores conditioni suæ exoptandos. Admotus enim est muneris Secretarii seu secundi Graphiarum Curiae FRISIORVM Supremæ, idque prudentissime administravit, donec in filium, pie Defuncti Fratrem Germanum, MARTINVM

VITRINGA, (qui eo simili cum laude etiamnum fungitur) transferret, Scabinatus postea Urbis Leovardiensis dignitate decoratus. *Avum* WIGERVM WIGERI, qui in matrimonio habuit piissimam foeminam, MARGARETAM HORATII, quæ pietatis non fucatæ & raræ virtutis semen susceperat ex matre sua, Defuncti Abavia, TANNEKE HORATII, quæ cum Parentibus suis ex Brabantia, cum persecutio Ducis Albani ardebat, in Frisiam se contulerat, pietatis ac veri Dei cultus causa solum vertens patrum, & rei familiaris jacturam faciens insignem. Unde &, cum postmodum hic ipsis denuo benedixisset Deus O. M. insigni semper ac laudatissima erga pauperes, & religionis causa profugos, liberalitate fuit & beneficentia. *Matrem* vero habuit egregiam foeminam, maximis animi dotibus & virtutibus insignem ALBERTINAM DE HAEN, spectata oriundam familia ex Frisia Orientali, ubi varios dedit honestissimos ac dignitate conspicuos Viros. Quibus Parentibus ortus *o Maxaeus* jam inde a teneris operam dedit, ut dignum se suis præberet Auctioribus, atque in eas succresceret laudes, quæ egregios natales decerent. Ludo enim Literario Leovardiensi, quam primum ætas ferebat, a Patre, qui liberis suis prudenter & in timore Domini educandis totus incumberebat, traditus, Literarum se cupidissimum esse

esse ostendit, brevique, ductu inprimis, qui tum Scholas moderabatur, Doctissimi ROMBERGII, eos fecit progressus, ut Linguae Latinae non tantum & Logices poneret fundamenta, sed & Veteris Codicis textum Hebraeum absque offensione, & sine interprete, ubique fere legeret, Novoque Testamento ter, quater, & amplius, a capite ad calcem evoluto, Graecum textum sibi familiarem redderet, adeoque excusso pulvere Scholastico, A. C. MDCLXXV. recitata feliciter, & non vulgari cum laude, Oratione, de *Patientia Christiana*, ad capesenda sublimiorum Disciplinarum studia, una cum Fratre WIGERO, admodum Juvenis, cum scilicet annorum esset XVI. ad Academiam Patriam Franequeranam mitti potuerit. Ubi cum integrum annum in Propædeuticis exegisset, opera maxime usus CI JOHANNIS TERENCE, & Cl. NICOLAI BLANCARDI, habita Disputatione publice (cujus ipse auctor erat) de *Ignis*, animum atque industriam admoveere coepit ad studia Theologice, cui illo tempore præerant Clarissimi ac Celeberrimi Viri NICOLAUS ARNOLDI, & HERMANNUS WITSIUS, nec non, qui paulo post iis adjunctus est, JOHANNES MARCKIUS. Quibus omnibus, maxime vero WITSIO, cui in Ecclesia Leovardiensi familiaris innotuerat, per biennium sedulam ac diligen-

tem dedit operam; tantosque in Divinarum rerum scientia fecit profectus, ut proprio Marte tres iterum conscriberet Dissertationes *de Origine Monachatus*: Quarum Primam sub Cl. WITSIO, Alteram sub Cl. ARNOLDO, Tertiam vero Præfide Cl. MARCKIO, optimo cum successu, similiter publice defendit. Sed hisce non contentus summa flagrabat cupiditate, & alios Viros eruditione Illustres, & inprimis eos, qui sacris studiis in vicina Batavorum Academia Lugdunensi præpositi erant, videndi & audiendi, qui tum per famam, tum ex scriptis ipsi maxime innotuerant; CC. scil. FRIDERICUM SPANHEMIUM F. CHRISTOPHORUM WIT-TICHIUM, STEPHANUM LE MOYNE, & ANTONIUM HULSIUM. Quapropter literis a laudatis jam Academiæ nostræ Theologis impetratis testimonialibus, in quibus inter alia augurium Cl. WITSII extabat, Desideratum scil. *eum sibi visum cui fessus rerum olim lampada tradere posset*, Lugdunum Batavorum bonis avibus transiit, & ex Prælectionibus Celeberrimorum illorum Virorum, penu eruditionis amplum, quod sibi jam comparaverat, reddidit instructissimum. Speciminaque ulteriorum progressuum nondum vertente anno in Illustri illo artium ac scientiarum teatro exhibuit Disputationes iterum tres *de argumento Psalmi secundi*; Quarum Primæ præfedit Cl. LE MOYNE, Secundæ Cl. SPAN.

SPANHEMIUS, *Tertia* vero inauguralis sui pro impetrando gradu Doctoratus in Theologia, ad quem Promotore Cl. HULSIO, provectus est IX. Jul. A. C. MDCLXXIX, cum annum ætatis impleffet XX. Unde reversus, Classi primum Leovardiensi nomen dedit, & inter S. Ministerii Candidatos adscriptus est III. Jun. A. C. MDCLXXX. Cumque paulo post, Cl. WITSIO Trajectum abeunte, Cl. WAYENUS Professione Theologica contentus Professione Literaturæ Hebraicæ sese abdicasset, ad Professionem Linguarum Orientalium vocatus est XIX. Aug. A. C. MDCLXXX. ipsoque Serenissimo Nassaviæ Principe Casimiro præsentente, habita, summo omnium cum applausu, *Oratione de Officio probi Sacrarum Literarum interpretis*, inauguratus est XI. Jan. MDCLXXXI. Quo munere ornatus, dum alia virtutis præmia fortuna promittit, de thori, futuræque rei familiaris socia, circumspicere cœpit, sibi que adulto autumno A. C. MDCLXXXI. in matrimonium adscivit virginem lectissimam, WILHELMINAM VAN HELL, Viri S. R. SIMONIS HEL-  
LII, Ecclesiastæ Harlemensis Senioris filiam natu maximam, quæ uti tenerrime ab eo amabatur, sic valetudinem ejus (sæpe adversam) curavit diligenter, maximoque ei semper fuit solatio, & v. liberorum, quatuor scil. filiarum, SIMONIS, duorum HORATIO-

RUM, (a) & CAMPEGII, unicæ vero filia  
 JOANNÆ MARGARETÆ, Mater extitit;  
 Ex quibus duo tantum sunt superstites,  
 Filia scilicet JOANNA MARGARETA matrona  
 præstantissima, quæ WILHELMO nupsit  
 KUITZIO, Mercatori apud Harlemlenses  
 florentissimo & Ecclesiæ Seniori Gravissimo,  
 & filius CAMPEGIUS VITRINGA,  
 SS. Theologiæ Doctor, ejusque in Alma hac  
 Academia Professor Ordinarius, Dignissimus,  
 summo Parentum gaudio, maximo suo merito,  
 vivo Patri in Professione Theologica adjunctus,  
 sanandoque vulnere gravissimo, per obitum  
 Patris, illato, ceu genuinus Nominis,  
 Eruditionis, virtutumque paternarum heres,  
 idoneus; Verum munere Professionis  
 Hebrææ, quod strenue & laudabiliter obiit,  
 non diu functus est. Destinata ipsius  
 meritis erat Professio Theologica. Quæ,  
 evocato ad Groninganam Cathedram Cl.  
 MARCKIO, non longe post ipsi in Hollandia  
 feriarum tempore agenti per Literas ab  
 Illu.

(a) Inter eos præcipue numerandus Horatius, eximiae  
 expectationis adolescens, qui non postremum  
 inter præcoces literatos locum commeritus est.  
 Illum annos natum duodeviginti a. 1696. maximo  
 cum patris sui, tum aliorum dolore, fata, quæ  
 eum terris tantum ostenderant, eripuerunt. Ejus  
*animadvrsionum ad Job. Vorstii de Hebraïsmis N. T.*  
*comment. specimen* in lucem edidit, suisque obser-  
 vationibus miscellaneis adjunxit Lambertus Bos.  
 Franeg. 1707. 8.

Illustribus ac Præpotentibus Deputatis Ordinibus xviii. Jul. MDCLXXXII. signatas, oblata est; dilata per varia impedimenta Inauguratione in vi. Idus Maji MDCLXXXIII. quo, dicta felicissime Oratione, *de Amore Veritatis*, eam publice auspicatus est. In qua statione postquam summo cum honore decennium exegerat, studioque Historiarum etiam esset celeberrimus, discedente hinc Lugdunum in Batavis Cl. PERIZONIO, nova, vi. Maji MDCXCIII. in eum collata est dignitas Professionis Historiæ Sacræ. Cumque jam longe lateque fama jubarque eruditionis ipsius sese diffudisset, & Cl. WITSIUS similiter Trajecto abiisset Lugdunum, Amplissimus Senatus Trajectinus, xxii. Aug. MDCXCVIII. concordis sententia, annuo statuto bis mille Carolinorum, Defunctum nostrum ei designavit successorem. Sæpiusque postea, cum prius Decretum, varias ob causas, caruisset effectu, eandem vocationem, non tantum iisdem, sed & amplioribus ac lautioribus conditionibus, ei obtulit. Sed Patriæ inservire Academiæ satius duxit pie Defunctus, conditionesque oblatas, quantumvis lautissimas, modeste ac constanter recusavit. Quod quam gratum fuerit Illustribus Proceribus publice testatum voluerunt, dum annum ejus salarium, non ignobili accessione, 400. scil. Carolinorum, auxerunt, eique in posterum 2000. annuos

decreverunt, quanto honorario nemo ante Virum Amplissimum ULRICUM HUBERUM gavifus est. Ex quo tempore in id unice incubuit, ut Academiam Patriam doctibus suis ac laboribus magis magisque orna- ret, Patriæque & florentissimæ in eo Eccle- siæ prodesset. Testes sunt labores ejus ad- dui & indefessi; Testes sunt frequentes ab ipso habitæ tum Orationes tum Disputationes; Testes denique sunt quæ præter privata va- riis temporibus in publicum prodierunt, ope- ra eruditissima, ipsi etiam veritatis hostibus ab eruditione probata, quorum catalogum adnectemus. Quorum omnium & ipse fru- ctum percepit amplissimum & optatissimum, ut non tantum per XLI. annos florentissimæ ipsius fuerint Scholæ, & spectabilis ad eum passim ex ultima Hungaria, Polonia, Gal- lia, Scotia, Germania, omnique Belgio, Ju- venum fuerit confluxus & concursus, ejus- modi etiam, ut auditoria eos sæpe non ca- perent, sed plurimi ex laudatissima ejus insti- tutione prodierint Viri dignitate ac doctrina conspicui, interque eos Professores & Pasto- res hoc ipso tempore adhuc viventes & flo- rentes, qui ab ipso ad ædificationem San- ctorum formati & instructi, utilissimam ejus operam grati agnoscunt, de eoque cum pia ejus recordatione sibi gratulantur; Omni- busque semper carissimus fuerit ac gravissi- mus. Quod non tantum summa, qua pol-  
l. bat,

lebat, eruditione, sed & moribus meritus est sanctissimis. Vir enim erat antiqua & prisca virtute & fide, gravis, sincerus, humanus, blandus, facilis, affabilis, in exprimendis animi sententiis candidus, colendis amicitiiis constans, honestatis denique ac pietatis studiosissimus, ac proinde longioris vite dignissimus. Sed aliud visum est summo terrarum Arbitro Deo O.M. Cum enim variis morbis, & incommodis, jam sæpius fuisset affectus, & ex aliquo tempore tardiore cepisset esse auditu, viribusque debilioribus, die xxxi Mart. hujus currentis MDCCXXII. anni hora semiquinta pomeridiana (absente qui paulo ante in Hollandiam profectus erat Filio) morbo gravissimo, quem *perfectam Apoplexiam* vocant Medici, correptus, omnique linguæ usu & corporis sensibus subito destitutus est. Cumque adhibita remedia optato carerent successu, morbi que vis magis magisque in pejus vergeret, hora fere media xi. vespertina ejusdem diei, piissimam animam, ex longo jam tempore ad tales inopinatos casus præparatam, reposcenti Creatori suo ac Redemptori reddens, in cœlestem gloriam, translatus est, anno ætatis LXIII. Orationem ei funebrem dixit Vir Cl. *Albertus S. hultensius*, Lingg. Orient. in Academia Frisiorum longe meritissimus, ex qua, si formis excudetur, plura de maximi Viri meritis virtutibusque cognoscentur.

Nos

Nos immensam animi ægritudinem, quam ex morte illius concepimus, quoad ejus fieri potest, mitigabimus frequenti usu scriptorum ejus, quibus, cum in iis mascula pietas cum rariori eruditione veluti de palma certent, immortaliter de re sacra & literaria meritus est. En tibi eorum Catalogum.

Introductio ad verum sensum TEMPLI EZECHIELIS, Belgicè; Franq. 1687. 2. voll. in 8.

Huic cum opposuisset magni Cocceji unicus filius *Job. Henricus* COCCEJUS librum Belgicè quoque scriptum; sub titulo; *accuratoris inquisitionis templi Ezechielis*, Amst. 1692. in 4. editum, respondit ei Vitringa libro; cui titulum fecit; *Vera interpretatio templi Ezechielis contra J. H. COCCEJUM defensa*; Harlemi, 1693. 8.

*Archisynagogus*. Franq. 1685. 4.

De SYNAGOGA vetere L. III. quibus tum de nominibus, structurâ, origine, præfectis, Ministris, & sacris Synagogarum agitur, tum præcipue formam regiminis & ministerii earum in ecclesiam Christianam translata esse, demonstratur cum Prolegomenis. Franq. 1696. 4. 2. voll.

Doctrina Christianae religionis per *Aphorismos* summatim descripta; Franq. 1690. 1693. 1702. 8. Cui posteriori editioni accessit; *Υποτυπωσις* theologiae elencticae graviores exhibens controversias, quae super Christianae

stianae religionis doctrina ecclesiae Reformatae cum diversis ejus sectis intercedunt; Prior liber quoque Belgice prodiit: Delfis. 1708. 8.

De *Decem Viris Otiosis* L. Franeq. 1687. Contra hunc edidit animadversionum specimen Jac. RHENFERDIUS. Franeq. 1688. 4.

De *generatione Filii ex Patre & morte fidelium temporali* dissert. Franeq. 1689. 4. Ejus dissert. Epilogus & Apologia; Ib.

De eadem materia Belgice quoque edidit; *Brevem expositionem ecclesiae Catholicae*, Amst. 1695. 4.

*Observationum sacrarum* L. VI. primus liber editus a. 1683. recusus cum secundo & tertio. 1689. Cum quarto, 1700. quintus & sextus, a. 1708. Omnes simul, a. 1711. 1712. & 1719. 4.

*Hypotyposis Historiae & Chronologiae Sacrae à mundo condito ad saeculum à nato Christo*. Accedit typus *doctrinae propheticae*, Franeq. 1708. 8. Nuper recusa in Germania apud J. Henr. Hartung, qui novam a se *Observationum* ejus editionem exspectandam publice monuit.

*Commentarius in Apocalypsin*: Franeq. 1704. 4. auctior prodiit. Amst. 1719. & in Germania recusus, Leucopetrae 1721. 4.

*Oratio de Synodis, earumque utilitate, necessitate, & auctoritate* Or. Franeq. 1706. 4. plag. 14.

Explicatio *parabolarum* Evangelicarum; hic liber in collegio privato erat dictatus, at in sermonem Belgicum translatus, animadversionibusque illustratus à J. D. Outreinio, Amst. 1715. 4. Recusus Herbornae: 1717. 4.

Typus *Theologiae practicae* sive de *vita spirituali* ejusque affectionibus commentatio Franeg. 1716. 8. recusum Latine Bremae; 1717. & ibidem Germanicè 1717. Belgice prodiit ex versione D' Outreini; Amst. 1717. 8. & Gallice versus à D. Limieres, Amst. 1721. 8.

Commentarius in ESAIAM; prior tomus prodiit Leovardiae; 1714. alter. 1720. fol. Recusus Herbornae 1721. f. Hic liber insignis vastae & rarioris eruditionis thesaurus est.

Animadversiones ad methodum *homiliarum ecclesiasticarum*, Leov. 1721. 8. recusum Jenae 1722. 8.

Totus erat ultimis vitae suae temporibus in perficiendo Commentario in Prophetam Zachariam; sed ob imbecillitatem corporis non ita multum profligatum est. Præterea passim circumferuntur ejus in varias scripturae partes cogitationes, quas disciplinae suae alumnis in calamus dictaverat. v. gr. in Canticum Mosis Deut. XXXII. in Ps. VIII. XLV. LXVIII. CXVII. in cap. VIII. & XI. Danielis, in creationem mysticam in miracula Christi, in caput Matth. XXIV. Lucae XI. XII. XIII. in Epist. ad Romanos, ad Titum &c.

&c. Geographia sacra, hisque similia. Quae una cum reliquis Tanti Viri Δειψανοῦ ne perire sinat paternorum munerum, virtutum, nominisque ex asse heres publico eum nomine adhortamur.



IX.

Nova Historico-Theologico-Literaria.

**H**ELMAESTADII Saxonum superiori anno. 1721. Cl. Vir *Joh. Gottfriedus LAKEMACKERUS*, specimen edidit Alcorani a se edendi, quod continet initium ipsum capituli secundi Corani cum interpretatione latina, & annotationibus, & specimine indicis vocabulorum Arabicorum; Titulus hic est, *القرآن* ALCORANUS *Mohamedis Abdallae filii universus. Cujus textum Arabicum ex optimis codicibus, MSC. juxta ac impressis recensuit, accurata versione latina adornavit & annotationibus brevibus ac luculentis illustravit Joh. Gottfried LAKEMACKER; Accedit Lexicon Arabicum omnium, quae Alcorano continentur, vocum &c. De diversis hujus libri editionibus confer, quae supra p. 271, seqq. & p. 370. 371, leguntur.*

UPSA-

UPSALIAE Olaus CELSIUS. S. T. D. & Lingg. Orient. Professor exercitationes Academicas tres de Palma edere coepit, quarum prima de illius praestantia ac nobilitate agit, altera locum Gen. X: 27. & tertia Gen. XIV: 7. explicat. Sequentur has quatuordecim alia capita, in quibus agetur de Palmis Elim Ex. XV: 27. Tabernaculorum Lev. XXIII. & terrae sanctae, Deborae Jud. IV: 5. Baal Thamar Jud. XX: 33. Palmarum figuris in templo, de locis Ps. XCII: 13. Cant. VII, 7. Jer. X: 5. Cant. VII: 8. Apoc. VII: 9. de oppido Thamar Ezech. XLVII: 19. de palmis Christo praelatis, deque iis locis S. S. ubi interpretes palmam verterunt, quamquam in textu nullum ejus vestigium appareat &c. Prelo Cl. auctor similis commatis destinavit alias dissertationes de Olea, vite, ficu, atque moro, & spinarum speciebus, quae in sacris scripturis commemorantur. Peroptandum est, non solum, ut his commentationibus quamprimum exhilaretur literatus chorus, sed & ut quis animum adjungat ad simili methodo conscribendum Paradisum, sive Dendrologiam sacram, aut Hierobotanicon, non minori eam in rem instructus apparatu, quam olim Bochartus fuit, cum se ad simile opus, quod incomparabile futurum fuisse Hierozoicon affatim docet, consignandum accingeret.

KILIA Holsatorum Cl. Mosheimius, e Dania, in qua aliquot mensium spatio commoratus fuerat, redux ita inter alia ad me;

De.

Descripsi ex codice antiquissimo Plutarchum *παι-  
 εὐρετικὸς*, quem eruditos in deperditis hujus viri  
 adhuc numerasse nosti. Naſtus sum Aprigii Pacen-  
 sis in D. Jobannis Apocalypsin commentarium, pari-  
 ter pro dudum amisso habitum, cujus quidem Isi-  
 dorus Hispalensis & alii ex veteribus tanta cum  
 laude meminerunt. Suppeditavit autem mihi illum co-  
 dex antiquissimus, qui Ariae quondam Montani fuerat,  
 & MXXX. Barcinone scriptus. Contuli Adamum  
 Bremensem cum codice celeberrimo membranaceo in  
 Bibliotheca Academica. Lindenbrogii scriptores se-  
 ptentrionales vitiosissime editos Duce Arna Magnaeo,  
 Historiarum Professore emendavi; Naſtus sum omnes,  
 quas ad summos aetatis suae viros scripsit epistolas  
 Ottonis Sperlingii, viri rerum antiquarum peritif-  
 simi, & in his paene centum Gisberti Cuperi, ma-  
 xima eruditione refertas. Conscripsi dissert. de Ul-  
 phila, cui nondum extrema manus accessit, taceo  
 alia, ne te obruam. Amicitiam quoque, quod pri-  
 mo loco monendum erat, cum Viris Daniae eru-  
 ditis Joh. Grammio, viro acerrimi ingenii, Arna  
 Magnaeo, Andrea Hoiero, Casp. Bartholino &  
 aliis contraxi, à quibus deinceps, quae desidero,  
 facile me impetraturum confido. Quot, mi Hasae,  
 & quantis Dania thesauris abundat! quot scri-  
 ptoribus nondum editis! quot monumentis exqui-  
 sitissimis in septentrionali praesertim historia! Quos  
 vel unica Rosgardiana Bibliotheca codices habet  
 praestantissimos. Verum vindices suos hae gazae que-  
 runt, nec facile, ut nunc sunt tempora, invenient;  
 Cetera.

HERSFELDIAE prelo destinatus est liber, cuius argumentum ex illius titulo, quem tibi exhibeo integrum, facile intelliges. *Conradi MEL, S.S. Th. Doctoris, Ecclesiarum Principatus Hersfeldensis Inspectoris, Rectoris, ac Societatis Anglicanae de propaganda fide, ut & Borussicae Scientiarum, membri TEUTONICA, seu opus Criticum jam diu à multis desideratum: cuius pars prima continet, CLAVEM ORIGINUM, ad referendas derivationes Nominum, cum priorum, Personarum, Locorum ac Temporum, tum Appellativorum, methodo mathematica propositam; Secunda pars: LEXICON GERMANICUM, in quo vocum radicalium Teutonicarum origines ex monumentis antiquis eruuntur.* Hersfeldiae. 1722. 4.

HALBERSTADII Vir Clarissimus Caspar ABEL hoc anno aliquot foliis vulgavit *Sciagraphiam historiae orientalis, inprimis PERSICAE; à prima rerum origine ad nostra usque tempora deductae.* Antequam illam exhibet, praemittit summam capitum tractandorum. *Aget enim Lib. I. de Monarchia veteri Persarum, & quidem cap. 1. de variis Persarum nominibus, eorumque origine. cap. 2. de veteri Persarum Monarchia, uti ab orientalibus proponitur, & cap. 3. de eadem, uti ab Occidentalibus Graecis potissimum & Latinis, descripta est, quibus & Hebraeorum Infragia junguntur. Libro II. de Monarchia Persarum subversa, regnisque & Dynastiis ex illa subnatis, aut cum ea, & paulo post florentibus; ni-*

mi.

mirum cap. 1. de regnis & Dynastiis Asiae minoris, sub Persis, & post illos, quo etiam regna Pergami, Bithyniae, Paphlagoniae, Ponti, Cappadociae, Galatiae, Cariae, Lyciae, Ciliciae, & insulae Cypri pertinent. cap. 2. de regnis & Dynastiis Aegypti & Africae, ubi praeter Aegyptiaci regni sub Persis & Ptolemeis fata, etiam regnum Cyrenes, & respublica Carthaginis, una cum regnis Numidiae & Mauritaniae, interiorisque Africae s. Aethiopiae, accurate exponuntur. cap. 3. de regnis & Dynastiis Syrorum, Iudeorum & Arabum, quod totam etiam harum gentium historiam sub Persis, Seleucidis, & Romanis in se continet, Lib. III. de Monarchia Persarum media & nova, aliisque regnis Asiae superioris, cap. 1. de Imperio Parthorum, sub familiis Aschkania & Aschgania, sive Arsacidis & Atropatiis, cap. 2. de Imperio Persarum sub Sassanidis, Samanidis, Buidis, aliisque, ad hodiernos usque Sephianos, cap. 3. de aliis Asiae superioris regnis & Dynastiis, e. g. Armenia, Iberia, Bactriana, Scythia, Sina, India, & Japonia, quibus ad ultimum regna Mexico & Cusco, in America adjecta sunt.

His praemissis addit sciagraphiam totius operis, quae sane salivam nobis movit, non minus, atque illa quam ante hoc septennium prodire fecit, *historia Monarchiarum orbis antiqui*, ut sane optaremus, Bibliopolam esse, qui tam insigni operi excudendo sumtus necessarios suppeditare velit. Recipere ausim, eum non paenitudine impensarum erogatarum

iri captum, quin omnes & sacrarum & politiorum literarum fautores multum se illi debitu-  
ros. Promittit doctissimus vir, se simili ratione EUROPAEAM etiam HISTORI-  
AM explicaturum, quandoquidem illam in-  
numeris quoque naevis & defectibus scaterere  
animadverterit, quos alii licet forte viderint,  
dissimulare tamen maluerint, quoniam iis me-  
dicam admove-  
re manum.

LEOVARDAE Vir Rev. *Theodorus van TUY-  
NEN*, S. T. D. & ecclesiastes Documentalis in  
Frisia librum ediderat, cujus jam altera exstat  
editio, quem *brevem* vocavit *expositionem fi-  
dei Reformatorum*; In eo cum alii, tum cele-  
berrimus Academiae Groninganae Professor  
Antonius Driessenus, (qui & dolorem animi  
inde conceptum, in praefatione libri de *raptu  
Pauli*, similibusque materiis nuper Belgico  
sermone editi, publice declaravit,) observasse  
sibi visi sunt, & quae in quam plurimos Re-  
formatae ecclesiae Doctores, nimis dictu  
aspera atque acerba essent, & quae ab ὑπερ-  
πώσει τῶν ὑψαινοῦτων λόγων recederent longius.  
Scilicet, docere Tuynenium homini creden-  
dum esse, Christum salvatorem suum esse, ANTE-  
QUAM pervenerit ad cognitionem miseriae suae,  
ad sanctam de statu animae suae sollicitudinem, ad  
suum & famem justitiae Christi, adeoque firmiter  
credendum esse peccatori sibi, Christi justitiam, remis-  
sionem peccatorum & salutem esse donatam, ANTE-  
QUAM ille ad Christum confugerit, ejusque justi-  
tiam desideraverit? Neque adeo PRIMUM illud,  
quod

quod Spiritus S. in cordibus electorum operatur, esse  
 miseriae nostrae cognitionem, sollicitudinem, tristi-  
 ssum, quae secundum Deum est, aut famem sitim-  
 que justitiae, & receptionem ad Christum; Sed il-  
 lam persuasionem, qua creditur Christum nostrum  
 esse servatorem, ejusque donatam nobis justitiam;  
 Haec, cum omnino talia sint, quae maxime  
 a sana doctrina abhorreant & apertas omni  
 securitati & licentiae fores pandant, gaudemus  
 impense S. R. van Thynen in epistola edita ad  
 amicum, de animadversionibus Driessenii, aliter  
 sententiam suam & quidem huac in modum  
 explicasse. Ad acquisitionem & possessionem ve-  
 rae & salvificae fidei, diversos actus concurrere.  
 Illos debere dispesci in antecedentes, essentielles,  
 & sequentes. Ad eos, qui ANTECEDUNT  
 pertinere peccatorum suorum agnitionem, sollicitu-  
 dinem ob illa, audientiam Evangelii, conversionem  
 ad Christum, sitim & famem ejus justitiae, deside-  
 rium, ut reperiare in eo per fidem, & quae sunt  
 alia hujus generis. Ad essentielles actus refe-  
 rendis, susceptionem Christi ejusque amplexum,  
 agnitionem charitatis illius, qua permotus Deus  
 filium suum nobis dedit ad expiationem criminum  
 nostrorum, sive illam FIDUCIAM, qua creditur,  
 Deum reapse non aliis solum, sed & mihi remissio-  
 nem peccatorum, aeternam justitiam & salutem do-  
 navisse ex mera gratia, solum ob Christi merita.  
 Porro fidem CONSEQUI, laetitiam, pacem con-  
 solationem, absolutionem a peccatis, spem vitae  
 aeternae, charitatem, glorificationem Dei, quae  
 fidelis per fidem & ex fide sua possidet, iisque frui-  
 tur.

*tur.* Id itaque solum se ferre non posse, ut di-  
 catur, *illas actiones, quae medio loco ponuntur,*  
*quasque essentielles verae fidei iudica et, ad veram fi-*  
*dem non necessario requiri.* Fatemur, si haec  
 recte explicentur, tolerari posse, neque li-  
 tem illam adeo magni momenti esse. Non-  
 nulla tamen distinguenda sunt accuratius.  
 Aliud enim est, credere Christum omnium  
 credentium esse sponforem & Redemptorem,  
 aliud est, credere & persuasum esse, ME in-  
 ter fideles & credentes esse, adeoque Chri-  
 stum MEA quoque peccata expiasse, &  
 ME Deo placasse. Prius ipsam naturam fidei  
 antecedit, non autem constituit, cum &  
 non vere fideles, immo Diaboli id possunt  
 credere & credunt. Alterum, ipsam essen-  
 tiam fidei consequitur, neque in omnibus fi-  
 delibus, neque semper, neque parili gradu ac  
 mensura reperire est. Tantum abest, ut in  
 eo constituere velis ipsam fidei saluta-  
 ris essentiam. Porro alia fiducia est, quam  
 Germanice dices *das Zuflucht nehrende*  
*Bertrauen.* Latine, *confugientem,* qua pecca-  
 tor de sua persuasus miseria, & impotentia  
 semetipsum ex illa eripiundi, & credens  
 Christum in mundum venisse ad salvandum  
 peccatores, seque talem esse sentiens ac do-  
 lens, ad Christum confugit, eum, TALEM,  
 qualis nobis in sacris monumentis revelatus  
 est, & quidem INTEGRVM, amplectitur,  
 ac recipit, in eo ejusque merito omnes spes  
 suas,

suas ac fortunas collocans cum propriae justitiae atque omnium, quae Christus non sunt, abnegatione. Alia autem fiducia est, quam gloriantem diceret, qua fidelis ex certis atque indubiis criteriis persuasus se Christum tanquam suae salutis arcem apprehendisse, cumque eo unitum esse, credit, se vi ejus meriti cum Deo in gratiam rediisse, sibi peccata remissa esse, sibi jus vitae aeternae donatum, idque gloriatur, & serio triumphat. Rem ipsam aliquo illustrare liceat simili. Aliud sane est, si vel aegrotus Medico se totum curandum committit, vel agitated ab hostibus ad arcem citato cursu properat, aliud est, si vel ille se a Medico sanatum gaudet, vel hic, ubi arcem contigerit, in ea tutus hostium molimina ridet. Quae quidem ad hanc causam facili negotio traduci possunt. Prius itaque ipsum fidei salutaris essentiam constituit, estque in omnibus fidelibus, & solis, & semper. Et, haec illa est fiducia, de qua loquitur Catechesis Heidelbergensis. Altera rursus ipsum primarium fidei actum sequitur, neque quisquam facile dicet eam absolute, omni tempore, inque omnibus fidelibus inveniri, nisi qui inficiari velit & sacra scriptura, & quotidiana experientia testibus inveniri saepe, qui tentationibus agitati, neque illam *μετ' ἰσχυρῶν* adepti de gratia Dei sibi quoque reapse impertita ambigunt, fluctuant, atque, propterea majorem in modum anguntur. Ne-

que video, quomodo afflicti talium animi erigi commode possunt, nisi iis illud inter alia inculces, in censu verorum fidelium numerandos esse, etsi non illam fiduciam, quam posteriori loco descripsimus, in se sentiunt, eam non omni tempore, neque pari mensura Deum suis concedere, atque hujus instituti sui eum rationes habere & multas & longe sapientissimas, illos veros fideles esse, qui sistentes Christi justitiam ad eum confugiunt, licet non semper internum illud spiritus testimonium, quo sibi quoque jam reapse placatum esse Deum persuadeantur, illamque ab Apostolo toties celebratam *παρηγορησαν* in se deprehendant. Atque ex his patet, utrumque sano sensu dici posse & fiduciam necessario in vero fidei requiri, ipsamque constituere fidei essentiam, & aliquem verum esse posse fidelem, etsi aliquo tempore fiducia illi careat. Sed haec verbulo tetigisse sufficiat.

CLIVENSIS ecclesiae ministri, viri maxime reverendi Jo. Jacobus SCHEURMANUS, & Joh. Daniel MANN, commentarios suos, quibus ille *Apocalypsin* D. Johannis, hic vaticinium *Zachariae* illustrarunt, nunc fere ad umbilicum perductos, publicabunt prope diem.

TUISCOBURGI ad Rhenum, quid in causa Cl. Viri Christophori RAABII, S. T. D. & Professoris publici ante aliquot annos actum fuit

fuit, Cl. Fasc. II. p. 366. indicatum est. Nunc autem illum a veneranda quatuor provinciarum generali Synodo, ibi memorata, admissum rursus, ac restitutum esse, posteaquam Catechesi Heidelbergensi duobus exceptis articulis de Paedobaptismo & jurejurando, subscripsisset, accepimus. Ipsa quibus ille usus est verba ex paragrapho LVI. Actorum Synodi generalis XXXVI. Juliacensis, Clivensis, Montanae, & Marcanae anni 1722. describemus. Weilen ein wohl-ehrwürdiger Synodus mit der mir unterm 14. dieses/ quoad subscriptione Catecheseos Heidelbergensis, wie auch formulam Sacramentorum, und Kirchen-Ordnung gethanen Erklärung nicht friedig seyn können / solches auch mir durch Präsidem Generalem Curtenium, und dessen Condeputatum Predigern Sixt bekannt machen lassen / als habe zwar / salvo meo qua professoris Theologiae Ordinarii privilegio, wessen Copiam (dafern selbiges noch in der Universität Archivo vorhanden / oder ich dessen habhaft werden kan) Synodo Generali zum fordersamsten zuzuschicken verspreche / hiemit deutlich declariren wollen / daß ich unserm Heidelbergischen Catechismo, formulis Sacramentorum, und der Kirchen-Ordnung hiemit subscribere ael Contestandam Orthodoxiam in omnibus & singulis, exceptis duobus punctis de Paedobaptismo & jurejurando, welche mir behalte / bis es dem gütigen Gott gefalle / darinnen mir  
ein

ein größeres Licht zur mehrern Bergewisserung  
zu ertheilen / auch in Lectionibus, Collegiis  
tam publicis, quam privatis, ut & Cathe-  
dra Ecclesiastica noch sonst / so wol in An-  
sehung bey der obbenandter Scrupulorum, als  
anderer Stücken nichts / was obgemeldten  
Symbolicis libris zu wider ist / meinen Audito-  
ribus vortragen wolle / woben dann zugleich ers-  
uche / daß das wider mich confirmirte Decre-  
tum nunmehr de plano aboliret / und also  
der Frieden restituiret werden möge.

Duisburg den 16ten Julii

1722.

Christoph Raab, S.S.  
Theol. Pr. Ord.

Quam gratus autem nobis, omnibusque  
qui ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ desiderant accidit nun-  
tius de Cl. Raabio ad meliorem mentem con-  
verso, tam acceptum nobis porro erit, si &  
illos, quos ei hærere adhuc scrupulos per-  
cepimus, ex animo ejus penitus ex-  
emptos esse, & cum religionis Reformatæ  
statutis prorsus in concordiam rediisse nun-  
tiare licebit. Interea accepimus augustissi-  
mum Borussiae Regem à venerabili Syno-  
dio epistolâ, lectu dignissima, quam proxi-  
mè communicabo, sciscitatum fuisse, causas  
ob quas detrectationem subscriptionis duo-  
rum

rum articulorum memoratorum restitutionem Cl. Raabii impedire non debere arbitrata est. Illas ut non dubito, quin satis arduae ac praegnantēs fuerint, ita gratum mihi erit si legere eas, & indicare aliis licuerit.

HERBORNAE Nassaviorum mortalium numero exemptus est (verba ipsa programmatis, quo funus quo a Celeberrimo Academiae cum maxime Rectore *Abrahamo PUNGELERO* indictum fuit, exhibeo) Vir Adm. R. & cel. *Jo. Sebaldus HAMELIUS*, ex verbi divini praecone *Dillaburgensi* inde ab Anno Seculi hujus octavo in hac *Academia Sacrosanctae Theologiae Professor Ordinarius*, *Serenissimo Nassaviae Principi a Consiliis sacris, Ecclesiarum Dillaburgensium antistes, Herbornensis vero etiam Pastor Primarius, Vir ingenio cum primis praeclarissimus, facundia inclytus, memoria felix, divinarum literarum scientia instructissimus, prudentia eximius, labore indefessus, virtute conspicuus, dignitate & meritis in Ecclesiam & Academiam venerabilis, natus Budingae in Comitatu Isenburgico Anno MDCLXII. A. D. II. Novembris Patre *Johanne Philippo HAMELIO*, Praesentiaro ut vocant *Budingensi*, Matre *Catharina HOENIN*, Excellentissimi Viri *Philippi Henrici HOENONII*, J. U. Doctoris & in hac Academia Professoris ut & *Dicasterii Dillaburgensis Directoris*, Filia, denatus *Herbornae Nassaviorum die mensis Julii quarto relicto uxori, liberis, amicis, Academiae, Ecclesiae patriae ingente sui desiderio.**

Splendida munera, quae morte sua fecit vacua, obtulit *Serenissimus Princeps Joh. H.*

H. SCHRAMMIO, Theologo celebratissimi nominis, quem nuper Herborna secessisse Marpurgum indicavimus. Num vero huic vocationi pariturus sit, id nondum habeo dicere. Interea his nundinis elegans ejus & lectu dignissimum scriptum de *unione Protestantium* publici juris factum est, cujus altera pars sequetur propediem. CI. PUNGELE-RUS haud ita pridem de *communi conversatione fidelium* dissertat, tres edidit, unam de *Dei existentia*, in qua illud, quod Cartesio debetur, argumentum, quod dicunt *a priore*, & ex idea Dei, rei que natura petitur, potissimum examinat, ut & alteram de *historicis sub promissione TYPIS*. In hac a vulgari loci vexati I. Petr. III: 20, 21. interpretatione abit Vir doctissimus, & cum ibi animae dicuntur servatae per aquam, id ita vult explicandum, non quasi illa fuisset instrumentum *σωτηρίας*, sed quatenus servatae sunt arcae inclusae, dum inter aquas versarentur, ita ut, licet per aquas arca transiret, Noachus juxta cum familia sua tamen non submergeretur, sed aquas pertransiret ad *σωτηρίαν*. Porro particulam *et* vs. 21. non refert ad aquam, sed ad arcam & animarum salvationem per arcam in aqua, ut sensus sit, non quod arca & animarum salvatio per aquam in arca typus fuerit baptismi, qui ipse typus est & visibile signum invisibilis gratiae; sed, quod utrumque hoc sacramentum eandem rem spirituales significant, eandem salutem, eundemque salvationis auctorem & modum depingant,

atque obfignent. Atque ita putat heic *antitypum* non tam, ut vulgo explicant, rem typo significatam notare, quam potius typum typore- spondentem, in ejusque locum succeden- tem.

HARDEROVICI celeberr. Vir Joh. MEY- ERUS novam eamque auctiorem & emen- datiore editionem tractatus sui de *Festis die- bus Ebraeorum*, idque in forma, quam vocant quartam, parat, cui addet antiquissimum li- brum, cui titulus est *Megillat Taanith*, à Tal- mudico, quem Lundius edidit, diversum cum versione latina & annotationibus. Pa- riter continuationem dissert. de *Mysterio Trini- tatis* ex Cabbalisticis scriptoribus illustrato ty- pis Wetstenianis edet: Vir Cl. Bernardus Seba- stianus CREMER post editam nuper *summam Theologiae supernaturalis* in eo nunc est, ut hi- storiam *Simsonis* singulari scripto explicet.

TIGURI *Miscellaneorum Tigurinorum*, quo- rum nuper p. 198. mentionem feci, tertia & quarta sectiones prodire; TERTIA com- plectitur sequentia; 1. Vitam Henr. Bullingeri ad a. 1560. ab ipso delineatam. 2. Episto- lam ad Annam Adlischweileram, qua ejus nuptias sollicitavit, a. 1527. scriptam. 3. Ej. Respons. ad primas literas Papae, quibus ad concilium Tridentinum invitaverat Tiguri- nos nomine ministrorum ejus urbis scriptam a. 1546. 4. Ej. instructionem apodemicam ad Filium Henricum missam a. 1553. 5. Ad-  
 Class. VI. Fasc. IV. D d d mo.


montiones datas G. Stadlero, procho-  
 dochei præfecto 1558. 6. Ej. Testamen-  
 tum. 7. Christophori *Donaueri*, V. D. M. Ratis-  
 bonensis exhortationem ad moderationem in  
 controversiis inter Protestantes &c. Nimi-  
 rum, cum celeberrimo editori consilium, cu-  
 jus nos etiam meminimus, sederet, uno vo-  
 lumine tractatus veteris ac recentioris ævi  
 qui ad promovendam inter Protestantes con-  
 cordiam spectabant, complectendi & sub ti-  
 tulo *Collectionis Irenicæ* publicandi, deinceps  
 autem rem jam affectam typographus dese-  
 reret, constitutum est Cl. Editori unum alte-  
 rumque eorum subinde in hac pœcile infere-  
 re. Sequuntur 8. & 9. Jo. Jac. *Breitingeri* sermo-  
 nes Synodales, in 1. Tim. VI: 20. & 2. Cor.  
 XI: 19. Omnia præter n. 1. Germanica, &  
 præter n. 7. i. edita. QUARTA sectio hæc  
 habet 1. Joh. Matth. MEYFARTI Diff. de con-  
 cilianda pace inter ecclesias per Germaniam  
 Evangelicas 2. Prosopographiâ *Bullingerianam*.  
 3. Trium Principum literas ad *Bullingerum*.  
 4. Responsum ad secundas literas, quibus  
 Papa Tigurinos ad Tridentinum concilium  
 invitavit, nomine illorum ab Henr. Bullinge-  
 ro scriptam a, 1551. 6. Hujus præcepta pro Fe-  
 lice Lavatero peregre abituro. 7. & 8. Brei-  
 tingeri sermones Synodales in Ez. XXXIV:  
 18. 19. 1. Tim. IV: 13. 9. Nomina V. D. Mi-  
 nistorum in India Orientali, quorum nume-  
 rus est XLIII. Omnia præter n. 1. sunt a vendi-

et, & præter n. 1. & 6. Germanica. Venerandi hujus illustris Gymnasii Theologi *Joh. Jacobi Hottingeri* librum, cujus titulum exhibuimus Cl. IV. p. 1083. nunc Ultrajecti Batavorum lucem adspexisse publicam alibi indicabitur.

BEROLINI Cl. Vir *Jacobus ELSNERUS*, non infrequens in hac Bibliotheca nomen, derelictâ Lingâ Berolinum appulit, atque in illius Gymnasio Joachimico ejus Rectoratus Professoratusque felicia auspicia cepit, dictâ felicibus auspiciis ad D. V. Kal. Novembr. de *eruditione cum pietate conjungenda oratione in panegyri frequentissima omnibus applaudentibus.*

HAGAE Comitum Alexander de *Rogisart*, Bibliopola, typum edidit *Historiae ANGLICANAE* auctore *RAPINO Thoyras*, formis describendae septem voluminibus in formâ quater complicata. Incipit illa à prima *Julii Cæsaris* invasione *Britanniae*, & continuabitur ad finem regni *Caroli I.* Optandum esset ut ad nostra usque tempora diduceretur, cum septuaginta illi anni, qui ab illa aetate effluerunt, tot mutationibus rebusque, *novis annalibus atque recenti historiâ memorandis* fuerint illustres, tantumque eas scire, rei intersit publicae ut vel omnium priorum saeculorum ignorantia abunde rerum in illis gestarum scientia compensari queat. Per modum subscriptionis, qui mos nunc invaluit, vendetur hoc opus. Pretium subscripturi solvent

XXIV. florenorum pro exemplari chartae ordinariae, pro augustâ autem XXXVI. Post calendas Martias a. 1723, nullae subscriptiones recipientur.



X.

Ad fugam vacui.

REMEDIIUM AMORIS.

**D**E la nature un doux penchant  
Nous porte à la tendresse;  
Mais on dit, que la loi defend  
D'avoir une maitresse;  
Ou la nature peche en soi,  
Ou la loi est trop dure.  
SEIGNEUR, reformés votre loi,  
Ou changes la nature.

Dum natura homini molles inspirat amores,

Lex data furtivo pascier igne vetat,  
Aut natura sibi nimium se praebet iniquam,

Aut

Aut nimis illa gravis lex & acerba foret,  
 Eripe vel cordi, quae torrent viscera, flammam,  
 Vel, DEUS, has leges corrige, magne, tuas.

*Responsio.*

Dum natura homini teneros inspirat amores,  
 Ni queat humanum disperiisse genus,  
 Et mens & ratio, justique scientia, nostris  
 Quam natura simul cordibus imposuit  
 Castos, nec ruptis laxos jubet esse re-  
 paglis,  
 Brutaque vel quorum paene pudere queat.  
 Non amor est lascivus amor, cassusque pudore,  
 Ille mera est rabies, est furor ille brevis.  
 Ergo, nisi malis te mentis egere, fateri,  
 Et furere, & turpem vel magis esse feris,  
 Aut foedis actus circum tua pectora taedis,  
 Injice naturae fraena modumque tuae,

Aut tua Tartareas, agitant quae viscera,  
 flammam  
 Tartarcae extinguunt mox Acherontis  
 aquae?

ALIUD.

Dum caro, dum sanguis dulces infundit  
 amores,

Mox divinae animum legis imago subit.

Cogito, quam Veneris sit foeda nocensque  
 voluptas,

Et, quam momento concidat illa brevi.

Hinc subeunt lacerae fastidia tristia mentis,

Quae secum longo firmate moesta trahit!

Judicis inde tremens flammantia cerno se-  
 veri

Lumina, cuncta quibus nuda, resecta pa-  
 tent

Mox subit à tergo mortis serpentis imago,  
 Ultima terribilis iudicii que dies.

Mox subit innocui JESU morientis imago,

Cum tulit in dira crimina nostra trabe;

Vulnera mox subeunt, clavique vepresque,  
 cruentus

Sudor, & in sanctum verbera jacta caput.

Tum mecum; Subit ah! tantos patiturque do-  
 lores

Pro nostris CHRISTUS victima facta  
 malis,

Atque ego tam spurco me involvam crimine  
lactus,

Et DOMINI augebo verbera verberibus?  
Hunc rursus spinis pungam, scindamque fla-  
gellis,

Simque illi angoris causaque parsque novi?  
Sic ero vel saeva mage tigride saevus, ut au-  
sim

Vulnera flagitiis tot renovare meis?  
SIT PROCUL! ante poli flammis ultricibus  
urar,

Et siam tactus fulmine nigra cinis.  
Ejus amor potius Stygios delebit amores,  
Et Phlegethontaeas flamma superna faces!

T. d. H.

## QVAESTIO.

Qui sint ערר לויאן apud Jobum  
III: 8.

Et ego in nomine patris me in nomine domini  
 et DOMINI dabo verbum verborum  
 Haec sunt spinae panis, sicut magis ha  
 gellis  
 Symbolon in capite parape novis  
 Si enim vel nova magna signa fuerint, ut au  
 ditur  
 Ut in his diebus totum novum  
 SIT PROCU... ante publicationem ultimum  
 Et in casus sub nomine dicitur  
 Etiam in dicitur deus deus amores  
 Et Philothenas humani spiritus iacet

T. d. H.

# QUESTIO

Quia... Jobum  
 Sicut  
